



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Disputatio XI.. De natura ac necessitate characteris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

dixerunt: haec autem consignatio, quamvis perfecte & consummate fiat per gratiam, tamen proxime fit per characterem, quo ita consignamur, ut etiam ablata gratia, ratione illius pertineamus ad gregem Christi: & hoc etiam confirmat illa antithesis circumcissionis, quia illa imprimebat signum in corpore: Baptismus vero imprimit in anima.

ARTICVLVS IV.

Verum character sit in potentijs animae, sicut in subiecto.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod character non sit in potentijs animae, sicut in subiecto. Character enim dicitur esse dispositio ad gratiam. Sed gratia est in essentia animae, sicut in subiecto, ut in secunda parte dictum est. Ergo videtur, quod character sit in essentia animae, non autem in potentijs.

2. Praeterea, Potentia animae non videtur esse subiectum alicuius nisi habitus, vel dispositionis. Sed character (ut dictum est) non est habitus, vel dispositio sed magis potentia, cuius subiectum non est nisi essentia animae. Ergo videtur, quod character non sit, sicut in subiecto, in potentia animae sed magis in essentia ipsius.

3. Praeterea, Potentia animae rationalis distinguuntur per cognitivas & appetitivas. Sed non potest dici, quod character sit tantum in potentia cognitiua, neque etiam tantum in potentia appetitiua, (quia non ordinatur neque ad cognoscendum tantum, neque ad appetendum) similiter etiam non potest dici, quod sit in vtraque, quia idem accidens non potest esse in diuersis subiectis. Ergo videtur, quod character non sit in potentia animae, sicut in subiecto, sed magis essentia.

SED contra est, quod (sicut in praemissa definitione characteris continetur) character imprimitur anima rationali secundum imaginem. Sed imago Trinitatis in anima attenditur secundum potentias. Ergo character in potentijs animae existit.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est) character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel alius tradendum ea quae sunt diuini cultus. Diuinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentia animae, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est, sicut in subiecto in essentia animae, sed in eius potentia.

AD primum ergo dicendum, quod subiectum alicui accidenti attribuitur secundum rationem eius, ad quod propinque disponit, non autem secundum rationem eius, ad quod disponit remote vel indirecte. Character autem directe quidem & propinque disponit animam ad ea, quae sunt diuini cultus exequenda: & quia haec idonee non sunt sine auxilio gratiae (quia ut dicitur 1o an. 4. Eos qui adorant Deum, in spiritu, & veritate adorare oportet) ex consequenti diuina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam digne impleant ea, ad quae deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subiectum, secundum rationem actuum ad diuinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiae.

AD secundum dicendum, quod essentia animae est subiectum potentiae naturalis, quae ex principijs essentiae procedit. Talis autem potentia non est character, sed est quaedam spiritalis potentia, ab extrinseco adueniens. Unde sicut essentia animae, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, quae anima spiritaliter viuat, ita potentia naturalis animae perficitur per spiritalium potentiam, quae est character. Habitus enim & dispositio pertinent ad potentiam animae, eo, quod ordinantur ad actus, quorum potentia sunt principia. Et eadem ratione omne, quod ad actum ordinatur, est potentia tribuendum.

AD tertium dicendum, quod (sicut dictum est) character ordinatur ad ea, quae sunt diuini cultus. Qui quidem est quaedam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet

in cor. art.

ter, quod character sit in cognitiua potentia animae, in qua est fides.

COMMENTARIVS.

IN corpore articuli docet D. Tho. characterem esse in potentia animae, quia ordinatur ad cultum Dei, qui in actibus consistit, ad actus autem potentiae proxime ordinantur, ergo etiam character erit proxime in potentijs. In solutione vero ad 3. explicat D. Tho. hanc potentiam, in qua character refidet, esse intellectum, in quo est fides. Sed haec doctrina D. Thomae magnam continet difficultatem, & ideo in sequenti disputatione latius discutienda est.

DISPUTATIO XI.

De natura, ac necessitate characteris.



IN praecedentibus disputationibus dictum est de effectibus gratiae sanctificantis, qui sub aliqua ratione generalis sunt, & communes omnibus sacramentis: sequitur, ut dicamus de quodam effectu, qui, licet sit proprius sacramentorum nouae legis, non tamen est omnibus communis, qui dicitur character, de quo videndum est, an sit, & quid sit: & inde facile constabit, quas proprietates, effectus, ac utilitates habeat.

SECTIO I.

Quoniam sacramenta characterem imprimant.

VT ab his, quae sunt clariora, incipiamus, primum omnium certum sit, in sacramentis legis veteris & naturae non fuisse aliquem spirituales characterem animae impressum. Ita docet D. Tho. hic art. 1. ad 3. & ceteri Theologi, & colligitur ex Chrysof. in verbis illis nuper citatis ex Homil. 2. in ep. ad Ephes. Ob signati sunt & Israelitae, sed circumcissione, quemadmodum pecudes. Vbi sentit, illud signaculum fuisse tantum corporale & non spirituale. Ratio vero est, quia in illis sacramentis per se nullus spiritalis effectus conferebatur per modum operis operati, ut supra dictum est: & si interdu gratia dabatur, erat solum ob necessitatem paruulorum, quibus non erat necessarius character, sicut nec adultis. Praeterea ratio sumi potest ex characterem, ut per illum deputantur homines ad cultum Dei. Nam in lege naturae hic cultus non erat determinatus etiam quoad caeremonias externas, sed arbitrio hominum determinabatur, & ideo non oportebat aliquo speciali characterem diuinitus infuso designari homines ad huiusmodi cultum, sed per fidem vel charitatem satis determinabantur. In lege autem veteri, quamuis cultus esset determinatus, quoad externas caeremonias, tamen nullam habebat spirituales virtutes, & ideo non oportebat imprimi characterem spirituales. Nam ad deputandum illum populum ad usum passiuum (ut sic dicam) sacramentorum illius legis, sufficiebat corporalis character circumcissionis, ut Chryf. dixit. Ad usum vero actiuum, qui conuenit sacerdotibus, sufficiebat externa consecratio praeter carnalem originem ex Leui, per quam distinguebatur tota Leuitica tribus a reliquis. Nam sicut in illis sacerdotibus, non erat propriae potestas ad spirituales effectus, ita nec illis fuit necessarium spirituale signaculum. Solus Sco. 4. d. 6. q. 9. inter Scholasticos docuit, per circumcissionem impressum fuisse characterem. Gab. ibi q. 2. art. 35. dub. 5. dicit, neutrum probari posse. Tamen hoc ipsum satis esse debet, ut nemo affirmaret, circumcissionem impressisse characterem, quia, cum sit effectus supernaturalis, & nulla auctoritate, vel satis probabili ratione ostendi possit: non est prohibito confingendus, praeterquam, quod ratio facta, & auctoritas Chryf. & D. Thomae satis contrariam partem persuadent.

Secundo statuendum est pro certo, non omnia sacramenta

In sacramentis veteris legis nullum fuit spirituale characterem.

Quaeritur characterem

Sacramenta noua legis imprimere characterem: nã
quatuor ex illis, sc. Eucharistia, Pœnitentia, Extrema
vnctio, & Matrimonii, characterem non imprimunt.
In hoc conueniunt oēs Theologi. Et colligitur ex Cõ-
cilijs Trid. & Flor. Quia licet expresse non negēt, hæc
quatuor sacramenta imprimere characterem, tamē,
dum de trib. alijs affirmāt, de alijs tacite negant: ma-
xime, quia dicunt inde habere alia sacramenta, vt i-
terari non possint. Vnde sumitur à posteriori ratio.
Nam hæc quatuor sacramenta iterabilia sunt: ergo
non imprimunt characterem. Præterea, cum chara-
cter sit res supernaturalis, & valde occulta nobis, vbi
non cogit sufficiens authoritas aut euidentis neces-
sitas, ponendus non est. Quod autem hæc quatuor sa-
cramenta characterem imprimant, nulla auctoritas
docet: necessitas nulla est. Quia per ea non deputantur
homines specialiter ad cultum Dei, sed tantum
sunt ipsa quidam specialis actus diuini: cultus, ordi-
nati ad speciales effectus, vt Pœnitentia ad remissio-
nem actualium peccatorum. Eucharistia ad nutri-
tionem charitatis, quæ hoc etiam habet speciale, q̄
non solum non ordinatur ad alia sacramenta, verum
potius cetera ad ipsam, vt ad finem referuntur. Simi-
liter Extrema vnctio instituta est ad iuuandum & pu-
rificandum hominem (vt sic dicam) in mortis peri-
culo constitutum. Vnde ordine executionis dici pot̄
vitimum sacramentorum omnium. Matrimonium
deniq; ordinatur ad iuuandos homines in oneribus
matrimonij. Vnde nõ character indiget, sed gratia,
& auxilio. Obijci vero potest, quia inter congruētias
seu vtilitates characteris, quas Theologi afferunt, vna
est, quia congruum est, vt sacramenta à nullo reci-
piantur, quin habeāt in illo aliquem effectum, etiam
si ipse obicem ponat: ergo oportet, vt omnia efficiāt
characterem, quia, cum non conferant gratiam homi-
mini ponenti obicem, si nec characterem imprimere-
nt, nullum effectum in eo haberent. Altera conie-
ctura est, quia oportet, vt disponant subiectum ad re-
cipiendum formam perfectam, qualis est gratia. Hęc
autem duplex congruentia in prædictis quatuor sa-
cramentis locum habet. Propter hanc rationem qui-
dam Theologi antiqui dixerunt hæc sacramenta,
quamuis characterem non imprimant, efficiere tamē
ornatum quendam, qui est dispositio ad gratiam. Sed
hec sententia in superioribus reiecta est, quia nullum
habet fundamentum, neq; in scriptura, nec in Patri-
buis, nec explicari potest, quæ sit nec essitas, vel ratio,
aut finis fingendi huiusmodi ornatum. Nec illæ con-
gruentiæ veræ sunt. Nulla enim est necessitas, quod
omnia sacramenta conferant aliquid homini etiam
seco. Nec gratia indiget alia dispositione præter eam,
quæ in actibus hominis consistit, nec propter has cau-
sas ponitur character, vt iam dicemus.

Quæstio ergo superest de alijs tribus sacramentis:
hæretici enim negant etiam per illa sacramenta im-
primi characterem, ita tenuit Vvicleph. vt refert Vval-
den. tom. 2. de sacram. c. 10. 109. & idem docent oēs
hæretici huius temporis. Luther. Calu. & alij. Scho-
lastici vero quidam verbis admittunt characterem,
re tamen negant, vt de Dur. videbimus seēt. sequētis.
Alij dubitare videntur, vt Scot. & Gab. supra citati,
quia vix inueniunt firmum fundamentum ad ponē-
dum characterem. Alij denique murmurant esse rem
nouam, vt Caiet. hic.

Dicendum vero est. Hæc tria sacramenta Baptis-
mi, Confirmationem, & Ordinem imprimere in
anima characterem. Est de fide definita sub his ter-
minis in Concil. Trident. sessio. 7. can. 9. de sacramen-
tis in genere, & in Concil. Florent. in decreto Eugenij, &
de Baptismo idem docuit Innocen. 3. in capite Maio-
res, de Baptismo. Et habetur etiam ex illo generali
dogmate, Ecclesiam Romanam veram, & infallibili-
lem doctrinam de sacramentis profiteri, vt traditur
in c. Ad abolendam, de hæreticis, & in Concil. Trid.
sess. 7. can. 3. de Baptismo. Sed Ecclesiã Romanã vni-

uersa conspirat in hac veritate, quod prædicta sacra-
 menta imprimunt characterem: ergo est certa de
 fide, & credendum est, manasse ab apostolica tradi-
 tione, per quam Romana Ecclesia in fide edocta est.
 Non enim definit Ecclesia res novas per nouas reue-
 lationes, sed quæ in scripturis, vel Apostolicis tradi-
 tionibus continentur. Potest autem hæc veritas pro-
 bari ex illis scripturæ locis 2. ad Cor. 1. ad Ephes. 1. &
 4. quæ in commentar. ar. 1. & 3. explicata reliquimus.
 Nam licet per se non cogant, tamen supposita tradi-
 tione Ecclesiæ, & veritate characteris, verisimile est,
 Paulū vsū fuisse verbo signandi propter caracte-
 rem, & in locis ad Ephes. videtur specialiter loqui de
 characterē Baptismi, vt vidimus. In loco vero ad Co-
 rint. videtur specialiter loqui de sacramēto Confir-
 mationis, vt patet ex omnib. illis verbis: Confirma-
 uie nos Deus, vixit, signauit & dedit pignus Spiri-
 tus in cordib. nostris. Atq; ita exponit Ambr. libr. de
 his qui inicianur, c. 7. in fine, & aliqui ex expositori-
 bus. De characterē vero Ordinis nullū inuenio scri-
 pturæ locum, in quo satis insinuetur, nam illud 1. ad
 Tim. 4. Noli negligere gratiã, quæ in te est, quæ data
 est tibi per pphetiã, per impositionē manus Presby-
 terij, & 2. ad Tim. 1. Vt resuscites gratiã, quæ est in te
 per impositionē manuum mearum. Hęc (inquam)
 loca sufficēter intelliguntur de gratia gratū faciente.

Secundo probari potest hæc veritas ex modo lo-
 quendi Sanct. Patrum. Nam in primis sæpe vocant
 Baptismum, signaculum, & sigillum, quia hominem
 consignat & quasi sigillat per characterem: sic loquitur
 Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 12. vbi dicit, quod
 Baptisma consignat pactum nostrum. Et Homil. 13.
 quæ est exhortatio ad Baptismum: agens de non bap-
 tizatis. Characterē (inquit) sacro carentibus, os
 aciemq; intētat, scilicet diuinus gladius, & infra. Nisi
 characterem in te agnoscat Angelus, quoniam modo
 pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit, quomodo
 (inquam) dices, Dei sum, signa non ostendens? An
 ignoras, quemadmodū signatas domos in Ægypto
 exterminator præterijt? thesauris non obfignatus
 furib. facile patebit. Quis itē absq; nota insidijs pro-
 tinus est obnoxia. & Nazian. Orat. 40. in sanctū Ba-
 ptisma dicit, Baptismū esse lauacrū, quia abluit, sigil-
 lū vero, quia est significatio & conseruatio domina-
 tionis, & Cyril. Hieros. in priuatione Cateches. vocat
 Baptismū, Vestimentū candidum, & signaculū san-
 ctum, & indelebile. Vtrumq; aut causaliter est intel-
 ligendū. Quia & confert indumentū gratiæ & signa-
 culū characteris. Vnde Cateches. 3. in principio sic lo-
 quitur ad Catechumenos: Spiritus sanctus obfigna-
 bit animas vestras, deligēdi estis in militiam magno
 regi, itaq; parate vos, & instructi estote: & Catech. 4.
 c. de Spiritu sancto, Spiritus sanctus (inquit) tēpore
 Baptismi animã tuã obfignat, & Catech. 16. nõ longe
 à fine loquēs de Spiritu sancto. Hic (ait) ad hodiernã
 vsq; diē obfignat animas in Baptismo. Sic et Epiph.
 hæres. 3. post med. & hæres. 20. circa fi. dicit Baptismū
 circūcidere nos à peccatis, & cõfignare nos in nomē
 Dei. Damasc. li. 4. c. 10. Per Baptismū (inquit) regene-
 ratio, signaculū, præditiū, & illuminatio nobis effi-
 citur. Præterea ex Latinis, Aug. multis in locis chara-
 cterē nominat, Epist. 23. post med. & 50. circa fi. inq̄.
 Non facio iniuriã characteri imperatoris, cū errorē
 corripo desertoris. Idē li. 2. cõtra liter. Peti. c. 13. com-
 parat characterē cū militari signo. Idē in eodem li. c.
 vlt. & li. 1. cõtra Crescon. c. 3. & li. 2. contra Gaud. c. 4.
 vbi vocat regiū characterē, lib. 6. de Baptif. c. 1. vocat
 Dominicū characterem, tract. 5. & 6. in Io. Si bap-
 tizatus (inquit) charitatē non habet, characterē qui-
 dē impostum habet, sed desertor vagatur. Præterea
 dicit. lib. 2. contra lit. Petil. c. 13. & in ser. de Gestis cum
 Emerit. præter characterē Baptismi facit mentionē
 characteris Ordinis: & hac ratione lib. de bono con-
 iugali. c. 24. dicit, sacramentū Ordinationis manere,
 et, si quis ob culpã ab officio remoueat. Optima er
 sunt

De Confir-
matione.

sunt de hoc charactere verba Greg. Nyss. lib. de Bapt. non longe à principio, Sacerdos post consecrationē, quod ad externam speciem attinet, idem est, qui antea, inuisibili tamen quadam vi ac gratia inuisibilem animam transformata gerit in melius. Denique de charactere Confirmationis asserti potest Cypr. in ser. de ablutione ped. ubi confirmationem æquiparat Baptismo, in hoc, quod est sacramentum æque initerabile, ratum, ac firmum. Sic etiam Aug. lib. 2. contra Iul. Petil. c. 10. 4. dicit, Sacramentum Chrifti semel datum permanere etiam in peccatis: quod necesse est intelligi ratione alicuius effectus, alioqui etiam sacramentum Extremæ unctionis semel datum potest dici manere etiam in peccatis. Præterea Hier. circa illa verba 2. ad Cor. 1. Qui unxit nos Deus (ait) Spiritu sancto, vel Chriftate. Et qui signavit nos illud (inquit) signatus, quod aliquid intrinsecus continet pretiosum. Cyril. denique Hierosol. cum in d. Catech. 3. dicit, Spiritus sanctus obligabit animas vestras, deligendi estis in militiam magno regi, in priori particula videtur intelligere charactere Baptismi, in posteriori vero sacramentum Confirmationis. Quoniam vero hæc omnia testimonia non videntur cogere, id eo Scot. d. q. 9. dicit facile exponi posse, ipsum sacramentum Baptismi, v. g. esse charactere, & ideo concludit, sola Ecclesiæ autoritate nos cogi ad ponendum charactere. Sed quamvis verum sit, Ecclesiæ autoritatem habere præcipuas partes in hoc negotio, tamen eas supposita intelligimus, mentem Sanctorum fuisse in eadem significatione de charactere loqui, & sine dubio multa ex dictis Sanctorum melius prædicto modo intelliguntur.

Tertio ratio huius veritatis à priori est institutio & voluntas Chrifti qui potuit hanc vim tribuere his sacramentis: Congruentia vero, seu moralis necessitas, sola illa adduci potest, quam D. Tho. art. 1. exposuit, quæ sigillatim his trib. sacramentis in hunc modum applicanda est. Primo enim per Baptismum ita deputatur homo, & consecratur ad cultum Dei, ut fiat membrum Ecclesiæ Chrifti: & distinguitur ab illis, quo nullo modo sunt Chrifto coniuncti, ergo oportet aliquo speciali signo Chrifti consignari, & hunc vocamus charactere. Dices, sufficere fidem per Baptismum infusam, nam illa etiam dici potest signum consignans Chrifti membrum, & distinguens ab infidelibus. Sic enim Pf. 4. dicit, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Vnde Amb. lib. de his, qui in itinere, c. 7. tractans illud Cant. 8. Pone me, ut signaculum in corde tuo, ut signaculum (inquit) quod fides tua pleno fulgeat sacramento, & clarius Dionys. de Eccles. Hierar. c. 2. par. 3. dicit, Accedenti ad Baptismum Deum lumen suum perinde atque signum aliquod tradere, sanctum efficiendo, & sanctorum participare. Respondetur tamen, fidem non posse habere perfectam ratione huiusmodi signi: tum, quia interdum baptizatus non accipit fidem, & tamen manet sigillatus signo Chrifti, tum etiam, quia licet prius fidem accipiat, & postea amittat, signum tamen Chrifti retinet: tum denique, quia character baptismalis non est qualecunque signum, sed quo fit homo capax aliorum sacramentorum: Chrifti fides autem non est huiusmodi signum, Catechumenus enim fidem habet, & tamen, nondum est capax sacramentorum Chrifti, donec baptizatus sit. Propter quod Concil. Floren. vocat baptismum, ianuam sacramentorum, nemo enim potest confirmari, nisi prius fidem in Baptismo sit professus. Quomodo enim designabitur miles Chrifti, qui nondum est Chrifto consignatus per Baptismum? ut ait Clemens Papa in Epist. 4. post medium. Et eadem est ratio de sacramento Ordinis. Ut collat ex c. si quis, & c. veniens, de presbytero non baptizato, quia non est aptus, ut consignetur in principale membrum & pastorem Ecclesiæ, qui nondum est in membrum Ecclesiæ designatus. Et simile est de Eucharistia. Non enim aptus est, ut nutriatur, qui nondum est geni-

tus. Quod significatum fuit, ut scribit Basil. Homil. 13. in Israëlitico populo, qui neque aquam de petra bibere, nec cœlestem panem manducare valuit, donec mare pertranst. Sic et, inquit. Nec tibi aliquis veram potionem, nisi vere baptizato præbebit: quo enim tu viuentem comedes panem, nisi sumpto prius hoc sacramento? Atque hæc ratio facile eadē proportionē procedit in charactere Ordinis: nam per illum singulari modo deputatur homo in cultum Dei, & distinguitur à cæteris Ecclesiæ membris tanquam proprius minister Chrifti participans speciali modo sacerdotium eius: & potestatem accipiens ad sacramenta diuina ministranda ex officio: ergo valde conueniens, est, ut speciali quadam nota ac signo consecretur, qui sic ordinatur. De Confirmatione vero non videtur æque procedere hæc ratio: quia per illam non videtur dari potestas ad recipiendum vel dandum aliquid, sicut in prædictis duobus sacramentis. Nihilominus dicendum est charactere Confirmationis dari, tanquam signum militare, nam in sacramento Confirmationis constituitur homo, veluti Chrifti miles ex officio destinatus ad profitendā publice Chrifti fidem, & pugnandum pro illa: & ideo speciali Chrifti charactere insignitur. legatur Scot. in 4. d. 6. qu. 10. sed restant duo dubia: ubi totam hanc rationem, & sufficientiam triplicis characteris egregie declarat. Accedit, quod propter hanc causam hoc sacramentum iterari non potest, sicut neque Baptismus, neque Ordo, quod est signum characteris impressi: nam hinc habent hæc sacramenta, quod iterari non possint, ut Conc. Trid. expresse dicit. Neque obstat, quod Gabr. & alij Scholastici obijciunt, quod diuina institutio potest esse sufficiens sine charactere, ut hæc sacramenta iterari non possint, sicut consecratio Ecclesiæ vel calicis iterari non potest, quamvis nullam qualitatem intersecam imprimat. Hæc enim ratio solum ostendit, charactere non fuisse necessarium de potentia absoluta ad hunc effectum, quod nos fatemur. Fieri enim possent omnia supra dicta per extrinsecam denominationem, & moralem habitudinem vel deputationem. Tamen non est dubium, quin perfectior modo fiant per internum spirituale signum, quod & ad ornamentum animæ, & ad perfectam consecrationem conferre potest. Hanc ergo perfectionem voluit Chriftus suis cultoribus conferre.

Sed dubitabit aliquis, an hæc tria sacramenta principaliter sint instituta propter hunc effectum characteris, vel propter effectum gratiæ: nam D. Thom. hic art. 4. ad iudicat, primario esse propter characterem, qui directe ordinatur ad ea exequenda, quæ sunt diuini cultus. Et quia hæc (inquit) idonea non sunt sine auxilio gratiæ, ex consequenti diuina largitas recipientibus characterem, largitur gratiam, per quam digne impleant ea, ad quæ deputantur. Verum D. Thom. eo loco non loquitur de sacramento: sed de charactere, & solum docet, characterem non esse dispositionem ad gratiam, sed esse facultatem operandi, cui adiungitur gratia, ut operatio conuenienter fiat. Vnde Soto dist. 1. q. 4. art. 4. generaliter dicit, omnia sacramenta principaliter ordinari ad dandam gratiam, quam characterem, quia principaliter instituta sunt, ut medicina peccatorum, quod faciunt infundendo gratiam. Quamquam in his sacramentis, quæ characterem imprimunt, ex consequenti ordinetur gratia per diuinam providentiam ad bonum usum ipsius characteris. Vnde ulterius addit, ea sacramenta, quæ characterem imprimunt, si subiectum non ponat obicem, prius natura dare gratiam, quam characterem: quia character consequitur fidem: est enim signum sanctæ communionis fidei: fides autem per se loquendo consequitur gratiam, ad quam comparatur, ut potentia ad essentialem: licet ex accidenti contingat dari fidem mortuam sine gratia. Mihi tamen sub distinctione videtur dicendum: in primis, Baptismum principali esse institutum propter gratiam

SECTIO II.

Utrum character sit qualitas supernaturalis ab anima & potentia eius distincta.

tiam gratum facientem, scilicet ad spiritualem regenerationem, & remissionem peccati originalis: consequenter vero illi datum esse, ut sit ianua ad ingrediendum Christi Ecclesiam, & participanda alia eius sacramenta. Et propterea datam esse illi virtutem ad imprimendum characterem. Atque simili ratione Confirmatio, quæ est veluti complementum Baptismi, instituta primario est ad conferendam plenitudinem Spiritus sancti, & abundantiora auxilia, quibus homo constantior fiat ad confirmandam fidem, consequenter vero datum est illi, ut characterem imprimat quo milites Christi designantur. At vero in sacramento Ordinis est conuerso dicendum videtur: per se primo esse institutum ad dandum spiritualem potentiam ordinis, quæ datur per impressionem characteris, gratiam vero dari in illo sacramento ad dignè exercendos actus illius potentis. Nam licet gratia secundum se perfectior sit, tamen in hoc sacramento datur propter officium seu ministerium sacerdotale. Neque est generaliter verum, quod Soto dicit, sacramenta esse instituta, ut sint medicina peccatorum, si merito sit de effectu, ad quem proxime instituitur vnumquodque sacramentum: quod apertius, quam in alijs, constat in sacramento Ordinis: proxime enim, non ordinatur ad remittenda peccata eorum quibus conferuntur: sed ad constituendos illos ministros sacramentorum: & quia per hos ministros remittuntur peccata, ideo mediate & remote ordinatur hoc sacramentum ad medicinam peccatorum. Igitur proximus finis & effectus eius non est dare gratiam remittentem peccata, sed propriam formam constituentem sacerdotem, vel ministrum diuini cultus, quæ est character, cui coniungitur gratia propter bonum usum eius: Vnde quod Soto ait, in his sacramentis per ius natura dari gratiam, quam characterem, mihi non probatur: quia physice nullus est ordo causalitatis inter has duas qualitates. Nulla enim ratione aut fundamento fingi potest, quâdoquidem ex natura sua vna ab altera nullo modo pendet. Manet enim character sine gratia, & gratia optimo & conaturali modo esse potest, sine characterem. Loquendo autem moraliter, prius natura datur character, quam gratia sacramentalis, quia talis gratia characterem requirit, & non est contrario. Nemini enim datur gratia per hæc sacramenta, cui non datur character: multis autem datur character, quibus non datur gratia. Idem inductio ne explicari potest: quia cum in sacramento Ordinis gratia sacramentalis detur ad bonum usum actuum diuini cultus, talis gratia supponit potentiam & facultatem ad efficiendos actus huiusmodi cultus. Et similis ratio fieri potest de Confirmatione: prius est enim, aliquem consignari in militem, quam illi dari auxilia, & arma ad militandum necessaria. Et ideo licet ordine intentionis (ut sic dicam) prior sit in hoc sacramento gratia, quam character: tamen ordine executionis prior natura est impressio characteris, quam collatio gratiæ. Atque eodem modo philosophari possumus in Baptismo. In quo est specialis ratio, quia est ianua ad sacramenta. Et ideo sicut character eius est potentia ad alia sacramenta, ita etiam est veluti potentia ad gratiam sacramentalem ipsiusmet Baptismi: & ita est quodammodo prior. Tandem eodem modo philosophandum est de fide & characterem. In nullo enim genere causæ character consequitur fidem. Est enim omnino independens ab illa: nam sine illa conseruari, & imprimi potest. Ut vero verumque fieri potest per sacramentum, moraliter prius natura sit character propter easdem rationes, quas de gratia fecimus. Neque obstat definitio characteris, tum, quia non est adeo recepta, tum maxime, quia ex illa solum colligitur fidei professionem, & significationem ordine intentionis esse priorem characterem, qui in hunc finem datur, non vero, quod in executione & effectione ordine nature præcedat fides, & ex illa consequatur character.

Variæ sunt Theologorum opiniones. Prima est Durand. in 4. d. 4. q. 1. qui sentit, characterem solum esse relationem rationis, seu denominationem extrinsecam, per quam ex institutione diuina deputatur aliquis ad sacras actiones. Fundamentum eius est, quia hoc sufficit ad quemcunque finem characteris, & facile intelligitur absque obscuritate: alia vero omnia sunt obscurissima, & difficiliora reddunt mysteria fidei. Hæc vero sententia Durandi potuit fortasse suo tempore sine hæresi sustineri, quamquam non sine temeritate, cum non solum esset contra cæteros Theologos, sed etiam contra Innoc. 3. in c. Maiores, de Baptif. vbi ita concludit. Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obiectione voluntatis contraria non inuenit obstitit. Nunc vero non potest hæc opinio ab errore in fide vindicari propter definitiones Conc. Flor. & Trid. quæ docent, characterem esse spirituale signum animæ impressum. Quæ non possunt villo modo conuenire relationi rationis, aut denominationis extrinsecæ: quia hæc nec sunt aliquid spirituale, neque anima in hærent, nec imprimuntur, nam hoc aperte significat actionem realem, quam Innoc. vocauit sacramentalem operationem. Dicendum ergo est sine dubio characterem esse rem aliquam vere ac realiter existentem, & intrinsece in anima in hærentem. Quod confirmatur contra Durand. quia alias non magis imprimeret characterem, sacramentum Ordinis in lege noua quam sacerdotalis consecratio in lege veteri, quia etiam ibi fiebat deputatio extrinseca, & consequenter significatio aliqua: & relatio rationis. Et simili ratione non magis imprimeretur character homini cum ordinatur, quam calicem cum consecratur: quæ omnia, & similia quæ facile inferri possunt, manifeste pugnant cum doctrina Catholica in præcedenti sectione tractata. Denique hæc Durand. sententia nihil in re differt à sententia hereticorum, quam Concilia voluerunt directe damnare. Fundamentum vero Durand. valde friuolum est, quia non semper quæ videntur nobis clariora, sunt veriora, præsertim in rebus fidei: sed quæ sunt magis consentanea Ecclesiasticæ doctrinæ, & traditioni: eo vel maxime, quod in hac doctrina de characterem non est tanta obscuritas aut difficultas. Quis enim dubitet potuisse Deum hoc reale ac spirituale signum animæ imprimere? aut cur difficile credidit, id fecisse non propter necessitatem simpliciter, sed propter maiorem perfectionem.

Secunda ergo opinio est, characterem quidem esse aliquid reale, non tamen absolutum quid, sed solum relationem. In hanc opinionem inclinat Scotus in 4. d. 6. qu. 10. Fundamentum esse potest, quia cum character solum sit quoddam signum, ut Concilia dicunt, constituitur in genere relationis, ergo & in specie relationis. Nam genus relatiuum non potest contrahi per differentiam absolutam. Deinde hæc ratio relatiua sufficit ad illa omnia, ad quæ ponitur character: & hac occasione late ibi digreditur Scotus, ut probet dari relationes reales extrinsecas aduenientes, quæ per se primo fieri possint per actionem agentis. Hæc vero sententia Scoti mihi non probatur. Censeo enim characterem non posse esse relationem realem. Primo, quia est terminus proprietatis realis, quæ per se primo ad talem terminum tendit: non enim consequitur character positionem fundamenti, vel termini, ut patet: præcipue, quia potest solum imprimi per sacramentum sine gratia vel alia qualitate: sed nulla relatio realis potest esse huiusmodi nature, ut per se primo fiat per actionem, ut late probat Caiet. hic contra Sco. & Capreolus in 4. d. 4. q. 1. art. 3. ad argumenta contra primam conclusionem, sed id prætermitto, quia philosophicum est. Secundo, illa relatio nullum posse habere fundamentum;

Character non esset relationis probatur primo;

tum. sed sine fundamento intelligi non potest: ergo. Maior constat, quia nec gratia, nec fides, nec quid aliud animae infusum potest esse talis relationis fundamentum. Quia ablatis omnibus illis, potest manere character: nec vero sola anima, alioquin posito aliquo termino resultaret ex ipsa anima talis relatio: esset ergo intrinseca, & connaturalis illi, supposita existentia talis termini. Respondet Scotus, hanc relationem fundari in sola anima, non tamen resultare ex illa, quia non est intrinsecus, sed extrinsecus adueniens. Sed, ut alibi latius dixi, haec est petitio principij. Pugnat enim cum natura Relationis, ut supposito fundamento & termino, non resultet, sed extrinsecus adueniat. Et deinde, hoc in re nihil aliud est, quam dicere, hanc relationem nullum habere fundamentum, & consequatur: sed tantum subiectum, in quo recipiatur. Tertio, si character est relatio, inquiri in primis, qualis relatio sit. Dicitur fortasse esse relationem signi. Sed contra, quasi esset relatio signi realis, oporteret esse signum naturale, & non ad placitum: nam signa ad placitum significant tantum ex impositione, atque deo per denominationem extrinsecam: unde non potest esse relatio realis, sed rationis, ut supra dictum est de sacramentis: relatio autem signi naturalis semper fundatur, aut in ratione effectus seu causae, quomodo fumus significat ignem: aut in aliqua naturali unitate, seu similitudine. Unde haec relatio signi naturalis, siue sit distincta a relatione effectus, siue non, semper tamen supponit naturam aliquam seu Entitatem factam, dependentem, seu habentem connexionem aut unitatem cum alia, quam significat. Quae Entitas semper est absoluta fundans in se relationem. Rursus inquiri ad quem dicat habitudinem haec relatio, quae est character. Aut enim respicit Deum, tamen terminum: & hoc non: quia explicari non potest, sub qua ratione illum respiciat: non enim sub ratione causae, quia haec relatio communis est omni effectui diuino: oportet autem hic explicare aliquam rationem relationis. Vel sub ratione similitudinis per aliquam participationem diuinam perfectio nis: & hoc non: quia talis relatio supponit naturam aliquam & unitatem, in qua fundetur: alioquin dici posset, gratiam etiam esse quandam relationem, quia est participatio quaedam diuinae naturae, & potest ad illam referri iuxta hanc sententiam aliqua relatione similitudinis. Aut haec relatio characteris dicit habitudinem ad Christum, ut ad terminum, & redeunt eadem argumenta. Quia non potest intelligi, nisi per modum alicuius effectus aut similitudinis, seu conformitatis cum Christo: huiusmodi autem relatio maxime requirit formam absolutam, in qua fundetur: nam si anima prius non habebat perfectionem aliquam, ratione cuius esset conformis Christo, quomodo potest intelligi, ut manens immutata in omnibus absolutis, & sine additione alicuius perfectionis, recipiat realem relationem similitudinis? Aut denique haec relatio respicit, ut terminum futuros actus diuini cultus, ut v. g. sacramenta recipienda, vel conferenda. Et tunc ulterius interrogo, quomodo illa respiciat: aut enim per modum potentiae realis: & ita non erit relatio, sed qualitas: aut per modum signi, & redeunt argumenta facta. Ac praeterea, illa non erit relatio realis, sed rationis, cum non respiciat terminum realem existentem, neque ab illo pendeat. Quin potius intelligi non potest, quid ex natura rei significet hoc signum. Neque enim significat, futura esse talia sacramenta, ut per se constat. Quia fieri potest, ut nunquam sint. Nec significat, hunc hominem esse capacem sacramentorum. Quia sicut sacramenta pendunt ex institutione, ita etiam, quod homo affectus tali Entitate sit capax illorum & non alio modo, pendet ex institutione, & non ex sola rei natura. Igitur significatio characteris non solum ex natura rei, sed ex impositione: ergo non potest tota realis essentia huius Entitatis in hac relatione signi consistere:

nullo ergo modo intelligi potest, quod character sit pura relatio realis.

Ad fundamentum ergo Scoti responderetur, vocem signi, dupliciter accipi posse: Primo, pro ipsa relatione signi. Secundo, pro forma vel figura, quae alicui in primis, ut ex impositione significet: quomodo in circumfusione cicatrix illa, quam imprimebat, dicitur signum & sigillum, & aliae simplices figurae, signa vocantur: licet in se sint res absolutae. Ad hunc ergo modum dicunt Concilia characterem esse signum: quia est forma realis animae impressa, qua conformatur intrinsece, ac deputatur ad aliquos actus diuini cultus, quae forma ex diuina impositione habet, ut significet eum, cui imprimitur, esse aptum ad recipiendum, vel efficiendum huiusmodi actus. Quae impositio non potest intelligi fundata in aliqua permanente in anima, nisi preintelligatur aliqua forma absoluta illi impressa, & ideo negatur solum relatione sufficere ad omnia, propter quae ponitur character.

Tertia sententia est, characterem esse aliquod absolutum, non tamen esse rem ab anima & potentij eius realiter distinctam, sed fortasse aliquem modum eius, Soto in 4. d. 1. q. 4. art. 2. dicit, hanc sententiam esse valde probabilem, dum modo non negetur, characterem imprimi animae, & formaliter ab illis distingui, atque ideo in genere qualitatis constitui: & fundamentum est, quia haec distinctio sufficit ad omnia saluanda, quae de characteribus dicuntur. Sed haec sententia mihi etiam non probatur, sed dicendum existimo, characterem esse rem distinctam realiter ab anima, & potentij eius, illique imprimi, non, ut modum habentem eandem realem Entitatem cum anima, sed ut nouam formam omnino realiter distinctam. Primo quidem, quia intelligi non potest quis modus huius naturae possit in anima fieri: aut quare ratione immutari possit hoc modo, & conformati anima sine additione nouae qualitatis, & realitatis. Praeterea, cum manifestum sit, hanc impressionem characteris, non consistere in mutatione aliqua locali, neque in habitudine, aut relatione, ut est ostensum. Secundo, quia character est supernaturalis forma, & accidentalis, quae in anima fit per propriam actionem diuinam: ergo est noua forma realiter ab anima distincta. Non enim efficaciori ratione concludi potest, gratiam, vel charitatem esse res distinctas ab anima, & potentij eius. Quia etiam character est res absoluta, & non est vnio ad aliam rem, neque aliquid huiusmodi. Tertio tandem, quia posita huiusmodi forma, & distinctio eius ab anima facillime & propriissime intelligitur omnia, quae de characteribus scribuntur a Sanctis, & Conciliis. Et de hac distinctioe affirmanda nulla est specialis difficultas, neque est superfluum, quod animae imprimatur huiusmodi Entitas: sed ad perfectionem, & decorem eius pertinet, ut supra dictum est: non est ergo, cur hoc in dubium reuocetur, atque ita tandem Soto in hanc descendit sententiam.

Ex dictis ergo omnibus concluditur characterem esse qualitatem supernaturalem realiter ab anima distinctam, eique diuinitus infusam. Hoc sufficienter patet ex dictis a sufficienti partium diuisione, quia est res supernaturalis anima infusa, & non est relatio, ut ostensum est, & non est substantia: neque aliquid ex ceteris Praedicamentis: superest ergo, ut sit qualitas, ut in commentario art. 2. declarauimus: Inquirendum ergo restat, quae qualitas sit.

SECTIO III.

In qua specie qualitatis sit character.

Prima sententia est proprie & directe in nulla esse, sed solum reductiue. Ita sentit D. Thom. hic art. 2. & probabile iudicat Richar. in 4. d. 5. art. 2. q. 1. ad 3. diuerso tamen modo. D. Thom. enim fundatur in hoc, quod character est per modum potentiae, seu

An fundam
mentum
Scoti.

Sententia.

Character
est qualitas
super naturalis
res realiter
ab anima
distincta.

Prima sen
tentia negat
characterem
esse rem aliquam
specie qualitatis
autio distincta
vii-

virtutis instrumentalis, quam ipse dicit non poni se sub genere, sed reductiue tantum. Richard. vero fundatur in hoc, quod qualitates supernaturales non continentur in genere aut predicamento cum qualitatibus naturalibus: atque ita de gratia & alijs habitibus infusus negat directe constitui in aliqua specie qualitatis: sed reducti ad illam, vel potius per se constituere suum genus illi simile: atque eodem modo dicit, characterem directe, tanquam constitui sub genere supernaturalis qualitatis, & per quamdam proportionem vel similitudinem posse ad tres species qualitatis reduci, scilicet, ad potentiam, dispositionem, & figuram, de quo postea dicemus. Ego vero falsum existimo, qualitates naturales & supernaturales non contineri vniuoce in genere qualitatis: quid enim obstat, quominus ab omnibus abstracti possit vna ratio communis, qua simpliciter omnibus conueniat, cum in modo efficiendi animam similitudinem & vnitatem habeant, & nullam inter se dicant habitudinem, in qua possit aliqua analogia fundari? Item, quis neget, actum fidei, vel charitatis esse proprie & vniuoce actum intellectus, vel voluntatis? ergo nec de habitibus infusus negari potest, quin sint simpliciter habitus, vel virtutes: ergo & ratio qualitatis illis conuenit. Nam, quod qualitas sit supernaturalis, non est conditio diminuens, sed perficiens potius, & eleuans genus qualitatis ad nobiliorem ordinem: non tamen ita eleuat, vt constituat analogiam. Quia qualitates naturales non dicuntur habitudinem ad supernaturales, nec dicuntur qualitates propter aliquam proportionem cum illis. Ex quo infero primo, negari non posse, quin character sit simpliciter vniuoce qualitas, quia est supernaturalis qualitas nobilior, quam naturales qualitates, & altioris ordinis. Ergo si ad illas comparetur, est vniuoce & simpliciter qualitas maiori ratione, quam omnes illae. Si vero comparetur ad alias qualitates supernaturales, non est cur dicenda sit qualitas secundum quid, vel analogice. Quia simpliciter afficit, ac perficit animam, & est qualitas permanens: imo & perpetua, vt infra dicemus: & non constituitur in suo esse per habitudinem ad aliquam aliam qualitatem, vt euidentius etiam ex sequentibus constabit. Imo etiam si concedamus dicere aliquam habitudinem transcendentalem, illa erit habitudo principij, vel potentiae: aut virtutis instrumentalis, quae habitudo non sufficit ad constituendam analogiam sub communi genere: neque impedit, quo minus propria ratio qualitatis alicui conueniat, vt patet in omnibus qualitatibus naturalibus quae sunt instrumenta substantiae ad agendum: potest enim forma aliqua accidentalis, quae secundum esse suum, absolute & proprie afficit subiectum in ratione principij actiui, habere vim agendi tantum per modum instrumenti, atque ita priori ratione, & secundum esse suum erit vera, ac propria qualitas. Vnde infero secundo, necessarium esse, vt character directe, ac proprie constituitur sub aliquo genere subalterno, & in aliqua specie vltima qualitatis. Quia fieri non potest, vt aliqua res sit directe sub supremo genere, nisi mediantibus generibus subalternis, & speciebus adaequate diuisidentibus illud genus.

Secunda sententia collocat characterem in quarta specie qualitatis, quae est figura. Quia per characterem fit in anima quaedam spiritalis configuratio. Ita Marfil. in 4. quaest. 4. art. 1. conclus. 7. & ex parte consentit Richa. loco supra citato. D. Tho. hic art. 2. ad 1. merito hanc sententiam rejicit, nam figura proprie dicta & non per metaphoram, non reperitur in rebus spiritalibus, cum sit proprietates quantitatis resultans ex terminis eius: character autem est qualitas spiritalis, quae solum metaphorice dicitur configurare nos Christo: quia in rebus sensibilibus vti solemus figuris impressis, tanquam figuris, quibus res distinguamus seu sigillemus. Vnde quoniam cha-

raacter est qualitas impressa ad huiusmodi proportionalem significationem. Ideo per metaphoram & analogiam dicitur configurare nos Christo. Vnde non fit, ipsum esse in specie figurae, quia res non constituitur in esse per denominationes metaphoricarum, sed per proprias rationes formales. Alias, quia virtus dicitur facere hominem rectum, constituenda esse in specie lineae, vel figurae, ad quam rectitudo spectat.

Tertia sententia est D. Thomae hic articulo 2. characterem constitui in secunda specie qualitatis: esseque potentiam supernaturalem, vel passiuam, vel actiuam, qua homo aptus redditur ad opera diuini cultus praestanda. Quam opinionem defendunt Caietan. Soto, & alij Thomista, & Scotus distinctio 6. quaest. 10. dicit, hanc sententiam non posse satis improbari, & simul addit: posse simul habere rationem potentiae, & habitus supernaturalis operatiui. Mihi tamen haec sententia visa semper est difficilissima: & ideo discurrendo per singulos characteres ostendam difficultatem eius. Suppono autem, dupliciter posse nos loqui de potentia: Primo, physice quomodo intellectus vel calor sunt potentiae ad suas actiones. Secundo, tantum moraliter, quomodo potestas iurisdictionis, vocatur potentia: & sceptrum seu virga regia potest vocari potentia moralis, si per traditionem eius detur potestas dominandi vel regendi.

Primo ergo, tractando de characteris baptismali, non potest vere dici, quod sit potentia physice ac proprie receptiua alicuius actus pertinentis ad cultum Dei, quod autem non sit actiua, omnes concedunt: quia illud sacramentum non dat potestatem ad agendum, sed ad recipiendum. Maior patet, nam potentia physice receptiua est, quae recipit actum & per illum actiuatur. Character autem baptismi non ordinatur ad recipiendum hoc modo aliquem actum supernaturalem, ergo non est potentia passiuam physice propria. Maior constat ex definitione potentiae passiuae. Minor probatur, quia character baptismi vel comparatur ad alia sacramenta, vel ad effectum gratiae, qui per illa datur: neutro autem modo habet praedictam rationem physicam potentiae passiuae. Et primo, non respectu sacramentorum, in primis, quia sacramenta non recipiuntur in anima, sed in corpore, imo interdum non proprie recipiuntur per passionem physicam, sed recipi dicuntur, vel quia proferuntur, vt de se audiri possint, vel quia localiter coniunguntur, seu tanguntur: haec autem sunt circa corpus per naturales qualitates eius, neque est necessaria ad haec omnia aliqua alia potentia physica supernaturalis. Secundo, quia si consideretur character tanquam conditio necessaria, vt sacramentum constituatur in esse sacramenti, re vera non requiritur propter aliquam rem physicam, quae quidem addenda sit ipsi sacramento, & recipienda in homine, qui recipit sacramentum: ergo ex hoc capite non potest character requiri, vt potentia physice receptiua. Antecedens declaratur: nam, verbi gratia, Matrimonium contractum inter homines non baptizatos, eisdem verbis vel signis fit, quibus inter baptizatos: neque aliquid physicum ex parte ipsius signi externi reperitur magis in vno contractu, quam in alio. Et tamen in hominibus baptizatis est sacramentum, & non in alijs, solum propter moralem rationem & significationem adiunctam vni, & non alteri. Secundo, quod character baptismalis non habeat propriam ac physicam rationem potentiae passiuae respectu effectuum aliorum sacramentorum, facile probari potest, quia ille effectus, aut est gratia habitualis, aut sacramentalis, aut character in sacramentis, Confirmationis & Ordinis. Primo ergo gratia habitualis immediate recipitur in ipsa anima, quae per se ipsam est capax gratiae, & per potentias suas est capax virtutum & donorum, quae gratia consequuntur. Quod tam est per se notum, vt non indigeat probatione. Na ante institutionem baptismi quo alio a se recipie-

Tertia sententia dicit esse potentiam.

Characteris baptismalis non esse potentiam physicam ostenditur.

Anima, ut sit receptiua gratiae, non indiget ali-

recipiebatur gratia in anima, nulla alia mediante potentia receptiua: & nunc etiam Catechumenus recipit gratiam & virtutes ante characterem; & Baptismus postea adueniens confert effectum gratiæ augendo gratiam præexistentem in eodem subiecto, & potentia, in qua antea erat. Præterea, quia si character esset hoc modo potentia passiva respectu gratiæ, oporteret prius natura atque immediatius recipi in essentia animæ, quam ipsam gratiam, quod tamen Diuus Thomas non admittit. Atque eadem ratione posset fingi alius character involuntate, ut esset potentia receptiua charitatis. Denique, si gratia, quia est forma supernaturalis, requireret in anima potentiam receptiuam ab anima distinctam, cum character sit forma supernaturalis, non posset immediate recipi in anima, sed aliam potentiam receptiuam requireret, & ita procederetur in infinitum.

Responderi ad hæc omnia potest, characterem vocari potentiam passiuam, non quia sit proprie receptiua gratiæ, vel alicuius actus, quo informetur, sed quia disponit hominem ad alia sacramenta recipienda & effectus eorum: dispositio enim reducitur ad causam materialem, & hac ratione vocari potest potentia passiva. Sed in primis, si verum esset characterem esse dispositionem, directe & proprie constitueretur in prima vel tertia specie qualitatis: unde non esset reducendus ad secundam. Deinde supra ostendimus, & argumentis etiam factis ostendi potest, characterem non esse dispositionem physicam ex natura rei habentem connexionem cum gratia, sed solum ex ordinatione diuina respectu gratiæ, quæ sit per sacramenta: unde, siue vocetur potentia, siue dispositio, quoad hoc, eadem est ratio. Nec vero potest character baptismalis dici dispositio ad gratiam, eo quod sit principium efficiendi aliquem actum, quo homo se ad gratiam disponat: tum, quia hoc vera est falsum, & improbable, ut de alijs characteribus statim ostendemus: nam certius hoc est de characterem baptismali. Tum etiam, quia paruulus baptizatus potest recipere aliqua ex alijs sacramentis valide & cum effectu sine proprio actu. Tum denique, quia si illud esset verum, non esset character baptismalis constituendus in specie potentia passiva, sed vel in specie potentia actiua, vel potius in specie habitus. Nullo ergo modo potest character baptismalis dici potentia passiva seu receptiua physice ac proprie respectu gratiæ sanctificantis, quæ vel per ipsum Baptismum, vel per alia sacramenta datur. Et eisdem rationibus idem ostenditur de gratia sacramentali, quæ, cum non sit res diuersa ab actibus intellectus, aut voluntatis, eadem vel maior ratio de illa est, quæ de habitibus. De characterem autem Confirmationis, & Ordinis, si quis contendat, recipi, medio characterem baptismali, ut propria potentia physice receptiua: non potest quidem euidenti argumento impugnari: quia neque ex terminis constat id esse impossibile, neque ex effectibus aut signis aliquibus probari potest, non ita esse, cum hi characteres nunquam dati sint, nec dentur, nisi homini habenti characterem baptismalem. Nichilominus tamen gratis & sine fundamento id affirmatur: nam, quod ex ordinatione diuina character baptismalis semper supponatur ante hos characteres, non est signum, esse potentiam receptiuam illorum proprie ac physice: quia etiam alia sacramenta non possunt habere valorem neque effectum in subiecto non habente characterem baptismalem, non propter rationem physicæ potentia passiva, sed solum propter diuinam institutionem: ergo similiter hæc sola est propria & immediata ratio, propter quæ dicta sacramenta non possunt esse valida in subiecto non habente characterem: unde fit, ut nihil in eo possint efficere. Et præterea, si ex naturalibus philosophari licet, vna qualitas nunquam est potentia

receptiua alterius, nisi per illam constituatur in actu secundo, vel primo ad agendum, ut contingit in potentia animæ, quæ nec sunt pure actiua, nec pure passiva, sed vtraque rationem participant: sed character baptismalis non habet rationem huiusmodi potentia respectu aliorum: ergo gratis fingitur, esse potentiam physicam receptiuam eorum. Et præterea sine necessitate: quia sicut anima per se ipsam & per suas potentias est capax vnius characteris, ita & aliorum. Neque est verisimile, characterem baptismalem ex natura sua ita esse subordinatum alijs characteribus, ut sine illis sit, quali in statu imperfecto, qualis est status potentia passiva, quæ suo actu caret: est ergo hic character qualitas quædam non actiua, formaliter actiuans ac perfectiua subiectum sine vilo ordine, vel habitu dine connaturali ad alium actum in eo recipiendum, & ideo physice ac proprie non est potentia passiva.

Tertio de characterem Ordinis omnes admittunt non habere rationem potentia passiva, quia non datur ad recipiendum, sed potius ad agendum. Quamuis de characterem, qui datur per inferiorem Ordinem dubitari posset, an compareretur, ut potentia passiva ad characterem impressum per superiorem Ordinem. Dicendum vero est, etiam sub hoc respectu non habere proprie rationem potentia passiva. Quod ostendi potest rationibus paulo ante factis de characterem baptismali respectu aliorum. Et addi potest, minorem esse subordinationem essentiali inter characteres diuersorum Ordinum, quia, licet superior Ordo recipi non debeat ante inferiorem, tamen si recipiatur, factum tenet, & eius characterem imprimatur, & sicut tunc non recipitur in alio characterem, qui nondum est, sed immediate in ipsa anima, vel potentia eius, ita intelligendum est fieri semper, quia semper informat animam eodem modo.

Omissa ergo potentia passiva, dicendum est de ratione potentia actiua. Et interrogo, an character Ordinis dicatur esse potentia actiua physice respectu sacramentorum, quæ a sacerdotibus dantur, vel respectu effectuum talium sacramentorum? neutrum autem dici potest, ergo hic character non habet propriam rationem potentia actiua. Prior pars de sacramentis manifesta in primis est in characteribus sex Ordinum inferiorum, scilicet vsque ad Diaconatum. Nam per illos proprie non datur potestas ad conferendum aliqua sacramenta. Nam licet Diacono detur interdum facultas baptizandi, vel dispensandi sacramentum Eucharistiæ, hoc potius est, ut iure & licite id faciat, quam ut factum teneat. Unde constat, id non pertinere ad potestatem Ordinis simpliciter, sed solum ad rectum modum administrandi sacramentum. Relinquitur ergo, hos characteres inferiorum Ordinum non habere propriam rationem potentia actiua supernaturalis. Primo, nam illi actus, propter quos dantur, si exterius considerentur, quoad actus externos, verbi gratia, cantandi Euangelium, vel similes, nec in se habent aliquid supernaturale, neque faciunt supernaturalem effectum ex opere operato, propter quem requiratur potentia actiua supernaturalis physice & propria. Si vero considerentur, quoad actus interiores, qui ad exteriores requiruntur, illi solum esse possunt actus fidei, vel religionis, ad quos non requiritur alia potentia præter habitus virtutum. De characterem vero sacerdotali, vel Episcopali (si distinctus est) idem facile probatur, quia sacramenta omnia, quoad suum esse solum consistunt in re sensibili, seu in actione corporali & sensibili (excipio Eucharistiæ, de qua est alia ratio, ut statim dicam) sed omnem actionem sensibilem, in qua sacramentum consistit, sufficiunt organa corporis cum suis naturalibus potentia, ut verbi gratia, ad proferendum verba sufficit naturalis vis loquendi, & ad lauandum, vel vngendum

Character Ordinis non est potentia physica.

Char non datur per inferiorem.

Obiectio.

Refutatio.

gendum naturalis vis motiva manus, vel aquæ, & sic de alius. Ergo ad faciendum totum id quod est sensibile in sacramento, non est necessaria potentia aliqua physica, quæ est character. Responderi potest, hoc esse verum de sacramento quoad id, quod est materiale in ipso: tamen formaliter ad faciendum sacramentum in esse sacramenti esse necessariam huiusmodi potentiam. Sed hoc facile refutatur, quia illud esse sacramenti, supra rem sensibilem, quæ est sacramentum, nullam rem addit, sed solam denominationem extrinsecam, & significationem, quæ conuenit tali actioni vel passioni ex diuina institutione. Vnde in ministro nullam aliam realem actionem externam requirit, vt fiat illud esse formale sacramenti, sed sicut intelligitur resultare relationis posito fundamento & termino: ita, supposita institutione Christi, eo ipso, quod talis actio sensibilis fit à ministro Christi, vt sic, circa subiectum capax, resultat ratio seu relatio sacramenti. Dico autem à ministro Christi, vt sic: quia necesse est, vt illa actio fiat à ministro deputato à Christo, ad quod non est necessaria potentia physica respectu sacramenti, sed sola Christi institutio, vel ordinatio. Necessaria præterea est in huiusmodi ministro intentio faciendi, quod fecit Christus, vt infra dicemus: tamen ad hanc etiam intentionem non est necessaria noua potentia physica actiua, quæ sit character, nisi velimus fingere miracula non necessaria. Primo, quia huiusmodi intentio potest haberi, quod aliqua sacramenta sine characterè, vt in Baptismo, & in Matrimonio: in alijs vero sacramentis, licet requiratur character ministri, vt sacramentum sit validum, tamen ipsa intentio non potest esse à characterè, tanquam à principio physice elicente talem actum: quia ille actus est voluntatis, & supponit aliquam cognitionem: sed illa cognitio sufficienter habetur per fidem: voluntas vero concitandi sacramentum sufficienter est, vel à religione, si fiat in cultum Dei: vel à charitate proximi, si fiat in bonum eius, vel vtraque simul: vel alijs virtutibus voluntatis, si fiat ex multis motiuis honestis. Interdum vero nec fides supernaturalis necessaria est ad huiusmodi intentionem dandi sacramentum: quia hæreticus seu infidelis potest habere illam. Neque in voluntate est necessaria aliqua virtus, vel potentia supernaturalis, à qua procedat: quia per actum merè naturalem potest minister sacramenti velle conficere sacramentum: imo per actum humanum & ex prauo motiuo. Ergo propter efficiendum huiusmodi actum internum, quatenus necessarius est ad faciendum sacramentum externum, non potest requiri character, vt proprium principium physicum effectiuium talis actus. Adde, etiam si hac ratione requireretur character, nõ posse habere rationem potestatiæ, sed potius habitus, quia supponeret in intellectu & voluntate aliquam potentiam elicendi tales actus vitales. Sic enim concurrunt omnes alij habitus infusi ad supernaturales actus: ergo respectu sacramentorum tantum non potest character Ordinis habere rationem potentia actiua physice ac propria.

Chamastrè non esse effectiuum gratia.

Superest, vt probemus alteram partem, scilicet comparando hunc characterem ad effectum sacramentorum, qui est gratia, non comparari ad illum, vt veram potentiam actiuam physice effectiuam eius. Duobus enim modis possumus intelligere, spiritualement characterem inherenter sacerdoti physice efficere gratiam in alio, cui sacerdos ministrat sacramentum. Primo, mediante actione aliqua immanenti, seu vitali ipsius sacerdotis, sicut voluntas angeli efficit motum in celo medio actu immanente, quo vult, seu imperat talem motum. Alio modo intelligi potest efficere per actionem mere transeuntem, sicut calor efficit calorem in alio. Prior modus hic non habet locum, vt ex dictis facile probari potest. Quia, vt minister per sacramentum alteri gra-

Fr. Suarez Tom. 3.

tiam conferat, non est necesse, vt habeat alium actum immanentem & vitalem præter intentionem internam dandi sacramentum, & actionem externam, in qua ipsum sacramentum consistit. Nam his positis necessario sequetur gratia in suscipiente sacramentum sine obice, etiam si minister non habeat aliam voluntatem dandi gratiam, imo licet habeat voluntatem repugnantem collationi gratia, dummodo retineat voluntatem dandi sacramentum: ostensum est autem, characterem non esse potentiam physicam, respectu horum actuum ministri: ergo nec potest esse potentia efficiens gratiam medio aliquo actu vitali ipsius ministri. Dices, characterem efficere gratiam actu ministri, non quidem efficiendo ipsam substantiam actus ablutionis, verbi gratia, vel prolutionis verborum, sed efficiendo in illo virtutem ad conferendam gratiam. Sed hoc etiam stare non potest iuxta doctrinam supra traditam, diximus enim, virtutem sacramentorum non esse rem aliquam eis superadditam, sed solam ipsorum Entitatem, & potentiam obedientialem, vt subordinatam speciali Dei concursui, & ideo ante actionem supernaturalem, qua fit effectus sacramenti, nõ antecedere aliquam supernaturalem actionem, vel motionem circa ipsum sacramentum, qua recipiat virtutem ad agendum. Ergo non potest character esse potentia actiua physica talis virtutis in ipso sacramento. Quia vbi non est actio realis, neque aliquid reale, quod de nouo fiat, non potest esse necessaria potentia actiua, præsertim propria ac physica, cum hæc ad aliquid realiter agendum ordinetur. Posterior autem modus, scilicet, quod character efficiat gratiam immediate se ipso per actionem, quasi transeuntem simul cum sacramento, non videtur etiam verisimilis. Primo, quia interrogo, an character sacerdotalis habeat ex natura sua hæc actiuitatem, vt potentia, seu virtus instrumentalis ex natura sua ordinata ad hunc effectum supernaturalem: & hoc dici non potest iuxta principia à nobis supra posita. Partim hic disputatio. 9. partim in 1. tom. disput. 31. vbi ostendimus, nullam esse posse qualitatem, quæ ex natura sua sit effectiua gratia sanctificantis, neque vt virtutem principalem, neque vt instrumentalem, atque hoc maxime verum esse de qualitate natura sua permanente, vt est character. Nam si iuxta doctrinam

Obiectio.

Responsio.

Nulla qualitas ex natura sua est effectiua gratia.

D. Thom. non potest dari huiusmodi qualitas, quæ sit potentia effectiua miraculorum, nec dari poterit ad efficiendam gratiam. Non est enim minus supernaturale hoc opus, quam alia miracula. Itè propter hanc causam negamus, datam esse humanitati Christi inherenter virtutem ac permanentem ad faciendam gratiam vel alia miracula: multo ergo magis negandum est, dari sacerdotibus Christi huiusmodi virtutem physicam ac permanentem natura sua gratia effectricem. Nõ potest ergo vere affirmari characterem esse in hoc sensu potentiam actiuam. Et reueta, si character talis esset qualitas, quæ natura sua effectrix gratia, vel transubstantiationis, perfectissima esset, & eminentissima virtus. Vnde sine causa negaretur, datam esse animæ Christi ad operandum per virtutem intrinsecam, & proportionatam: si ergo illi data non est hæc virtus, signum certe est, characterem non esse talem virtutem. Alio ergo modo dici potest, characterem sacerdotalem influere physice gratiam, vt instrumentum Dei per potentiam obedientialem eleuatam. Et hic modus efficiendi non inuoluit contradictionem, vt constat ex generali doctrina de instrumentis diuinis tradita in superioribus. An vero de facto Deus ita eleuet characterem ad efficiendum, satis incertum est. In primis vero licet id concedamus, nihil refert ad id de quo modo agimus, id est, ad explicandum naturam & specificam essentiã characteris: quia illo modo, scilicet, vt instrumentum Dei, & per potentiam obedientialem qualibet qualitas, cuiuscunque speciei sit, potest

L.

test

test eleuari à Deo ad efficiendam gratiam: vt per gratiam, quæ in vno est, potest efficere gratiam in alio: vel per fidem, vel per scientiã: ergo quamuis cõcedamus, Deũ per characterem sacerdotalem efficere gratiã in aliis, eleuando characterẽ per potentiã obediẽtialẽ, non potest inde colligi, characterem esse naturã suã potentiã actiuã, magis quam id colligi possit de gratia, aut de habitu fidei, si per hæc Deus gratiam efficeret. Et ratio est clara, quia hæc potentiã obediẽtialis est communis, & quasi transcendens in Ente creato: & ideo non potest per illam colligi propria rei natura. Quod si etiam explico: nam, si character Ordinis ex propria specie & essentia est potentiã actiuã, necesse est vt natura suã sit propter aliquam actionem sibi connaturalem: non est autem hoc modo potest effectiõnem gratiã: ergo ex hoc capite non habet, quod sit potentiã actiuã: nulla autem actio assignari potest, quæ illi sit connaturalis: ergo nullo modo potest esse vera ac physica potentiã actiuã. Adde præterea, verisimilius esse, characterem sacerdotalem non influere prædicto modo in gratiam, quæ datur per sacramenta, quia quãtum ex doctrina Conciliorum colligi potest, tota actio ministri immediate versatur circa sacramentum, efficiens vel applicando illud. Vnde non alio modo censetur conferre gratiam, quam mediante sacramento, sc. absolueno, abluendo, &c. ergo omnis alia efficiencia est gratis conficta, & sine fundamento. Præterea non est necessaria, quia quando minister Baptismi non habet characterem, quia non est sacerdos: tota efficiencia gratiã est mediante sacramento, & minister non habet aliam: ergo idem est, etiam si minister habeat characterem, quia non habet tunc sacramentum minorem, neque aliam efficienciam. Atque idem argumentum fieri potest in sacramento Matrimonij, in quo proprius minister non habet characterem. Præterea illa efficiencia characteris, quæ fingitur per modum actiõnis transfuentis, nullo modo versatur circa actiõnes ministri, sed circa extrinsecum effectum, est ergo impertinens ad rem moralem, & ad proprium finem, propter quem ponitur huiusmodi character, sc. vt minister sit deputatus ad tales actiõnes pertinetes ad cultum Dei.

Character in ordine ad Eucharistiã & effectum eius.

Atque ex his constat, eandem esse rationem de efficiencia characteris sacerdotalis respectu sacramenti Eucharistiã, & effectus eius. Nam si sermo sit de effectu verborum, quibus ipsum sacramentum conficitur, actio supernaturalis trãsubstantiationis, quæ ibi intercedit, tota est immediate ab ipsis verbis, & minister ibi non habet aliam actionem, nisi verborum prolationem, vt expresse dixit D. Thom. infra q. 78. art. 1. atque ita character respectu trãsubstantiationis non habet rationem potentiã actiuã physica, sed ita se habet ad trãsubstantiationem, sicut se habet ad gratiam efficiendam per verba absolutionis, vel per aliud sacramentum. Si autẽ sermo sit de effectu gratiã, quam confert ipsum Eucharistiã sacramentum: respectu illius multo minorem cõcursum habet character, quia in ea actiõne solum se habet sacerdos, vt applicans sacramentum iam factum. Et in illo non est simpliciter necessarius character ad effectum sacramenti, sed solum ordinariẽ requiritur vt legitime fiat dispensatio. Igitur respectu nullius sacramenti vel effectus eius habet hic character rationem potentiã actiuã.

Solum possit aliquis dubitare de characterẽ sacerdotali, vel Episcopali, si verum est, Episcopatum esse sacramentum, & imprimere characterem. Videtur enim character Episcopi efficere sibi similem, vel in specie, vel in genere, quando ordinat Sacerdotem, vel consecrat Episcopum. Ergo recte dici potest character Episcopalis, est potentiã actiuã ad efficiendum aliquem characterem sibi similem. Respondetur tamen, hoc etiam nõ habere maiorẽ pro-

habilitatem, quam sit in reliquis sacramentis vel effectibus sacramentorum. Primo, quia etiam character episcopalis non concurrat ad imprimendum characterem alteri per immediatam actiõnem ipsius characterem, sed solum per verba seu per materiam & formam sacramenti Ordinis. Non enim aliter concurrat ad Ordinandum, quam ad Confirmandum: nullum enim est fundamentum ad assignandam huiusmodi differentiam. Præterea, quia si propter solam similitudinem specificam possit character episcopalis efficere sibi similem, sequitur primo, eadem ratione possit characterem sacerdotalem facere sibi similem. Sequitur secundo, illum characterem esse veluti propriam & principalem virtutem ad efficiendum sibi similem, sicut est calor ad efficiendum calorem. Vnde etiam obiter sequitur, quod licet haberet hanc actiuitatem, non esset primo & per se constitutus in specie potentiã, sicut calor, licet possit efficere sibi similem, non constituitur primo, & per se in specie potentiã. Præterea, hic modus efficiencia est alienus à qualitatibus spiritalibus. Tantum enim habent actiuitatem in ordine ad actus vitales, quatenus esse possunt principia, & obiecta eorum: non tamen sunt actiuã per modum actiõnis transfuentis ad generandum sibi similes: quod maxime verum habet in supernaturalibus qualitatibus, quæ sunt supra naturalem capacitatem subiecti in quo recipiuntur. Et ideo gratia non potest illo modo efficere sibi similem: idem ergo erit de quolibet characterẽ. Cuius signum sumerem potest ex eo, quod simplex sacerdos potest interdum ex commissione Summi Pontificis Ordinare in inferioribus Ordinibus, vel etiam in Subdiaconatu: & tamen tunc non est dicendum imprimere characterem alteri, per characterem quem in se habet, quali efficiẽdo sibi similem, alioquin etiam Subdiaconus & Diaconus hoc possit facere ex dispensatione Papæ, vel etiam sine illa: sicut etiam quando sacerdos ex dispensatione Papæ ministrat sacramentum Confirmationis, potestas eius se extendit ad imprimendum characterem, quem antea non poterat imprimere, propter solam extrinsecam dispensationem, & quasi moralem deputatiõnem necessariã ad veritatem sacramenti, à quo est immediate totus effectus & impressio characteris. Atque idem argumentum sumi potest iuxta probabilem opinionem D. Tho. quod Episcopatus non est sacramentum, nec imprimi characterem. Nam per solam extrinsecam consecrationem extenditur character sacerdotalis, vt sit potestas consecrandi, vel Ordinandi, ergo signum est non esse proprie ac rigorose potentiã physicam, sed moralem.

Tertio principaliter de characterẽ Confirmationis facilius ostendi potest, non habere propriam ac veram rationem potentiã physica. Interrogo enim, an sit potentiã actiuã, vel passiuã. Quod autem neutrum dici possit, ostendo, quia D. Thom. vtroque modo in diuersis locis explicuit rationem huius characteris, & nunquam explicat proprium actum, seu actionem realem in ordine, ad quam habeat propriam rationem potentiã physica. Primum enim in hac quæstione infra art. 6. significat, esse potentiã passiuã, dum ait: Per Baptismum ordinari homines ad recipiendũ alia sacramenta: & subdit. Ad idẽ etiam ordinatur quodammodo Confirmatio. Dicit autem (quodã modo) quia character Cõfirmationis non est simpliciter necessarius, vt alia sacramenta valide recipiantur, sed solum præcedere debet ante Ordinem & Matrimonium, & si commode fieri potest ante alia sacramenta, vt congruus ordo seruetur. Si ergo character baptismalis non est proprie potentiã physica passiuã, euidentius est, characterẽ Confirmationis non esse similem potentiã, præsertim cum non sit simpliciter necessarius ad recipiendum aliquem actum, sed solum secundum quãdam

Character sacerdotalis aut episcopalis non est sibi similem

De Characterẽ Confirmationis

dam congruitatem prærequiritur. Rursus idem D. Thom. infra q. 72. art. 5. dicit per sacramentum Confirmationis dari homini potestatem spirituales ad alias actiones sacras præter illas, ad quas datur ei potestas in Baptismo: & infra dicit: Hanc potestatem esse ad agendum ea, que pertinet ad pugnam spirituales contra hostes fidei. Quibus verbis indicat, esse potentiam actiuam, sed constat, illas actiones non esse à charactere Confirmationis, vt à potentia physice actiuæ, ergo. Pater minor, quia illa non sunt nisi actus fidei, charitatis, fortitudinis, aut religionis, vel exteriores actus, qui ab his internis procedunt, vel auxilia gratiæ, quæ ab hos actus efficiendos dantur, sed omnes isti actus sufficienter sunt à potentia animæ, intellectu, scilicet, & voluntate eleuatis per habitus virtutum infusarum, cum auxilio Dei excitante, & adiuuante. Ergo ad has actiones nulla efficientia characteris est necessaria, nec facile intelligi potest. Ac præterea, quamuis gratis daremus, characterem habere aliquam efficientiam in hos actus, non compararetur ad illos vt potentia, sed vt habitus infusus potentia, & adiuuans illam ad suos actus, sicut supra in simili argumentabamur. Præsertim, quia inter hos nullus est actus, ad quem sit simpliciter necessarius character Confirmationis. Omnia enim que pertinent ad pugnam spirituales contra hostes fidei, possunt fieri ab homine non confirmatione, solum per auxilia gratiæ. Idem non solum de potentia absoluta, sed etiam de ordinaria. Ergo non datur character, vt potentia simpliciter ad huiusmodi actum, sed solum, vt aliis designetur, vt sit miles ex officio deputatus ad huiusmodi pugnam, & vt hac de causa habeat à Deo paratum subsidium necessarium ad eandem militiam exercendam, in quo nulla intercedit propria ratio potentia physice actiuæ.

Quarto ex his constat, characterem solum posse dici habere rationem potentia: aut potestatis secundum moralem quandam considerationem. Quia videlicet est signum ex diuina ordinatione ad hoc destinatum, vt qui illo insignitus fuerit, aptus sit ad tale ministerium, sicut in lege veteri circumcisio dici poterat potentia passiuæ ad recipiendam sacramenta illius legis: & similiter virga iudicis potest dici potestas actiuæ ad gubernandum. Quod autem ita de characteris sentiendum sit, ita explicatur. Nam imprimis, quod character habeat aliquo modo rationem potentia, probat ratio D. Thom. hic arti. 2. quia per characterem datur homini aliqua potestas, nam cum characterem potest aliqua efficere, aut recipere, vel alio modo, quam sine characteris possit: ergo character est aliquo modo potentia: sed vt ostensum est, character non est potentia physica: superest ergo vt tantum sit potentia moralis: & hoc etiam modo dixit Scotus dicta questione 10. quod licet character sit relatio, potest habere rationem potentia ministerialis. Quia non oportet, vt talis potentia influat in actum, sed vt sit veluti conditio requisita à principali agente in ministro, vt eius actione tanquam instrumento vtatur: Deus autem deputando ministros sacramentorum, voluit propter maiorem perfectionem eos intrinsecè designari per characterem. Et hac ratione dicitur character potestas moralis: cuius signum est, quia hoc non est semper vniuersale, vt dictum est de ministro Baptismi, & de ministro Matrimonij, qui per solam extrinsecam deputationem & institutionem diuinam habent hanc potestatem: & è contrario interdum character Ordinis non est sufficiens potentia ad aliquem actum, v.g. ad confirmandum, vel ordinandum, & tamen adiuncta concessione Pontificis, subdit rationem potentia. Præterea, quid simile videre licet in potentia passiuæ. Nam character Baptismi in viris est sufficiens potentia ad recipiendum ordinem, non autem in feminis, & in ægrotis est sufficiens potentia ad recipiendum sacramentum Extremæ vntionis.

Franc. Suarez. Tom. 3.

nis, non autem in sonis: ergo signum est, hæc omnia pendere ex institutione, atque ita pertinere ad moralem potentiam, non autem ad physicam.

Quinto ex his vltius concludi videtur, non posse characterem propriè & essentialiter constitui in specie potentia. Probatur ex dictis, quia character non est potentia physica actiuæ, vel passiuæ: ergo verè ac propriè non est potentia, quia nulla est verè potentia, nisi quæ re ipsa ac physice ordinatur ad aliquem actum: ergo non constituitur in specie potentia, quia nulla res constituitur in specie, nisi secundum eam rationem, quæ verè, propriè ac physice illi conuenit. Et confirmatur, nam propterea supra diximus cum D. Thom. characterem non constitui in specie figuræ, quia hæc ratio non propriè, sed metaphoricè in illum conuenit. Sed similiter ratio potentia non conuenit propriè characteri, sed metaphoricè ac per denominationem extrinsecam, quatenus per extrinsecum actum Dei, qui per characterem est designatus, factus est capax talis actus ex ordinatione diuina, sicut aliis exemplis declaratum est, ergo.

Vltimo ergo dicendum existimo, characterem esse qualitatem primæ speciei, scilicet, dispositionem, seu habitum, conuenientem ipsi animæ ac formaliter perfectentem illam, sine vilo ordine ad operationes, sicut pulchritudo, vel sanitas est bona corporis dispositio. Ita sentit Alex. Alen. 4. par. q. 19. m. 1. artic. 2. & Bonauen. in 4. d. 6. art. 1. qu. 1. vbi Scot. q. 10. sub distinctione defendit, si character est qualitas absoluta, esse potentiam vel habitum. Et probatur primo, quia hoc modo facile intelliguntur dicta Conciliorum: dicunt enim characterem esse signum spirituale. Ex quo imprimis colligo, characterem non dari per se primo: vt principium operandi, sed solum ad consignandum, & deputandum hominem ad aliquam actionem. Deinde colligo, esse formam animæ impressam, vt ita affecta intelligatur esse consignata. Quæ forma non potest melius intelligi, quam per modum cuiusdam bonæ & permanentis dispositionis, sicut videre licet in aliis signis corporalibus. Vnde non sumitur hic dispositio, vt relatiuè dicitur ad aliam formam, ad quam disponit in genere cause materialis, quia hoc modo non censeo, characterem esse physice ac propriè dispositionem ad aliam formam, vt sæpe dixi in superioribus, sed sumitur dispositio absolute, prout dicitur de quacunque forma absoluta bene ac conuenienter afficiente subiectum, quomodo gratia potest dici bona dispositio animæ. Neque etiam sumitur hic dispositio in eo rigore, quo ab habitu distinguitur, & significat qualitatem facile mobilem, sed prout comprehendit habitum fixum & immobilem, quamuis operatiuus non sit: Atque hoc modo explicata ratio characteris facile intelligi ac persuaeri potest, cum tamen in quolibet alio sensu vix possit concipi. Vnde tandem confirmatur à sufficienti partium enumeratione, quia in nulla alia specie qualitatibus potest constitui. Nisi forte quis dicat poni in tertia, & esse passibilem qualitatem, quatenus est terminus allicuius propriæ actionis, per quam imprimitur subiecto. Sed quia hic non est locus tractandi de distinctione harum specierum. Solum breuiter dicitur, hanc rationem termini non sufficere per se ad constituendam propriam speciem qualitatibus, quia hæc ratio communis est fere omnibus speciebus, quatenus per aliquam actionem fieri possunt. Item, quia illa ratio termini solum addit denominationem extrinsecam, & ideo fortasse illa ratio passibilis qualitatis aliter explicanda est in ordine ad mutationes sensibiles, atque ita probabile est, illam speciem solum reperiri in qualitatibus sensibilibus.

Contra hanc vero sententiam solum obijci potest, quia omnis habitus disponit ad faciliter operandum, vt sumi potest ex Arist. 2. Ethic. c. 5. sed character per

L 2

eter per

Character non est proprie & essentialiter potentia.

Character est qualitas prima speciei.

Character dicitur potest moralis potestatis.

Character Confirmationis.

Responſio

cter per se ac phyſicè non confert ad operationem: ergo ſicut propter hanc rationem negandum eſt eſſe potentiam, negandum etiam eſt, eſſe habitum. Ad idem obiici poteſt auctoritas D. Thom. art. 2. Ad rationem reſpondetur, aſſumptum non eſſe verum, ſi per habitum intelligamus quacumque diſpoſitionem permanentem, ac ſubiectò conuenientem. Ariſt. autem ibi locutus eſt de habitib. potentiarum, qui per actus noſtros acquiruntur, qui propriè ſunt habitus operatiui. Præter hos vero poſſunt eſſe aliqua qualitates benè diſponentes ſubiectum in ſuo eſſe ſine ordine ad operationem, quæ ſi permanentes ſint, & difficile mobiles, vocari etiam poſſunt habitus non operatiui: & de his non eſt neceſſe, vt diſponant ad faciſſimè operandum, & hoc modo gratia vocatur habitus, & ſanitas etiam ſolet ita vocari: hoc ergo modo intelligimus, characterem eſſe habitum. Ad D. Thom. reſponderi poteſt, intellexiſſe characterem eſſe potentiam improprio modo, ſcilicet moraliter, & ideo addidiſſe, illum non poni propriè & directe in ſpecie potentia, ſed reduci uè. Hæc vero reſponſio (vt verum fatear) mihi non ſatisfacit, nam, D. Thom. plane intendit characterem habere aliam ſpeciem, & eſſentiam: alioquin nec reſpondiſſet quæſtioni, nec etiam impugnare debuiſſet opinionem ponentem characterem in ſpecie figuræ. Quocirca nihil inuenio, quod reſpondere poſſim, ita vt ſatisfaciam. Rationes enim ſupra factæ me cogunt, vt in re non magni momenti à ſententia D. Tho. diſcedam, paratus ei aſſentire, cum primum earum ſolutiones inuenero, quas hæcenus nec reperi, nec aſſequi potui.

SECTIO IV.

In quo ſubiectò ſit character.

QVÆſtio hæc potiffimum tractanda eſt de ſubiectò proximo, in quo character inheret: nam de remoto nulla eſt fere controuerſia. Voco autem ſubiectum remotum, perſonam, quæ habet characterem. De hoc ergo ſubiectò certum eſt, de factò ſolum eſſe characterem in illis hominibus, qui recipiunt aliquod ex ſacramentis, quæ characterem imprimunt: eſt enim character proprius effectus ſacramentorum. Hinc tamen rectè colligitur, quemlibet hominem ſecundum ſe eſſe capace[m] characteris per obedientialem potentiam. Quia quoad capacitaſtem hanc, eadem eſt ratio de omnibus hominibus. Imo cum homo ſit capax characteris ſecundum animam, quæ ſpiritalis eſt, & in hoc angelis ſimilis, verifimile eſt, eandem capacitaſtem eſſe in angelis, ſicut etiam capacitas ad reliqua omnia dona gratiæ. Solut vero hic inquiri an character fuerit etiam in Chriſto. Sed nõ eſt, quod in hoc immoremur: nam, vt rectè hic D. Thom. docuit articulo 5. Chriſtus non indiget characterẽ. Quia Chriſtus ratione ſuæ diuinitatis excellẽtiori modo eſt veluti dignatus in ſupremum Ducem, Principem, ac Sacerdotem. Et ideo non indiget characterẽ, qui eſt veluti participatio quædam ſupremi ſacerdotij Chriſti, & ſupponit imperfectionem in ſubiectò quod afficit, ſcilicet, quod ſit membrum, miles, aut miniſter alterius ſuperioris capitis, de quo dixi nonnulla in priori tom. diſp. 46. ſect. 3.

Chriſtus characterẽ nõ egiſt, vt eſſet Summus Sacerdos.

Prima opin.

Omiſſo ergo ſubiectò remoto, de ſubiectò proximo poteſt eſſe prima ſententia, characterem eſſe in corpore hominis tanquam in ſubiectò proximo. Quem dicendũ modum ſolum illi tenere poſſunt, qui dicunt: characterem non eſſe aliquid diſtinctum ab ipſo ſacramento, ſed ipſum ſacramentum, quatenus ex diuina inſtitutione ad hoc ordinatur, vt ſuſcipiens illud, perpetuo maneat deſtinatus ad tale munus, eſſe characterem. Qui ergo ita de characterẽ ſentiunt, conſequenter aſſerunt, ſicut ſacramentum recipitur immediate in corpore, ita et-

iam ſubiectum proximum characteris eſſe corpus. Sed huiusmodi ſententia ſolum ab hæreticis defendi poteſt, qui characterem negant, quia dicere characterem nihil eſſe præter ſacramentum, re vera eſt negare illum eſſe aut fieri, ſeu imprimi per ſacramentum. Soto vero in 4. diſt. 1. qu. 4. artic. 4. tribuit hanc ſententiam Dur. d. 4. qu. 1. alio tamen ſenſu, & modo. Inprimis enim illi imponit, quod neger eſſe alium characterem præter characterem Ordinis: deinde refert, eum docere characterem Ordinis non eſſe in anima, ſed in corporis membris, non quidem in illis, in quibus ſacerdos recipit ſacramentum Ordinis, quando ordinatur, ſicut prior error dicebat: ſed in illis, quibus ſacramenta conficit, ſcilicet in lingua & manibus. Quia virtus actiua inſtrumentalis eſſe debet in proximo inſtrumento operationis. Vnde ſit iuxta hanc ſententiam characterem Ordinis tantum durare eo tempore, quo durat ſacramentalis operatio. Quia virtus inſtrumentalis tam diu durat, quam diu durat motio principalis agentis. Verum tamen Soto non retulit fideliter Durandi opinionem: ille enim nihil eorum aſſeruit, quæ illi imponuntur, ſed potius ea omnia inſeruit tanquam incommoda, quæ ſequuntur ex opinione eorum, qui dicunt, characterem eſſe inſtrumentariam virtutem proportionalem illi, quæ eſt in ſacramentis ad conferendam gratiam. Nam inde (inquit) ſequitur primo, ſolum ſacramentum Ordinis dare characterem, quia ſolum per hoc ſacramentum conſtituuntur homines miniſtri ſacramentorum: ergo ad ſummum in hoc ſacramento ſolo oportebit dari inſtrumentariam virtutem, quæ dicitur eſſe character. Secundo (inquit) ſequitur, hanc virtutem eſſe in membris, quibus ſacramenta perficiuntur propter rationem ſupra factam. Ac denique tertio ſequitur, characterem non eſſe virtutem permanentem, ſed tranſeuntem, ſicut ponitur eſſe virtus ſacramentorum. Quæ omnes illationes Durandi vera ſunt ſatis apparentes & probabiles: tantum autem ab eſt, vt ipſe admittat ea, quæ inferuntur, quod potius (vt dixi) ea inferat, vt magna incommoda, ſicut re vera ſunt: quibus reſpondere fortalſe poterit aliquo modo, qui eam ſententiam defendunt: nos autem in hoc immorari non oportet, quia cum Durando exiſtimamus ſententiam illam de inſtrumentaria virtute falſam eſſe.

Alio tamen modo poſſet hæc opinio tribui Dur. in eodem loco. Nam cum ipſe aſſeruit, characterem non eſſe, niſi relationem rationis, ſequitur ex eius opinione, vel characterem nullum habere ſubiectum, quia relatio rationis nulli inheret, vel ſi illi tribuendum eſt ſubiectum denominationis, illud non eſſe animam, vel corpus, ſed totum hominem ſimpliciter: nam ille eſt, qui deſtinatur, vt ſit capax ſacramentorum: vel certe, ſi aliquod ſubiectum propinquius aſſignandum eſt ratione fundamenti huius relationis, illud erit corpus, quatenus in illo recipitur ſacramentum, per quod homo deſtinatur ad aliquem Dei cultum. Et hoc videtur ſignificari Durandum in ſine illius quæſtionis, ubi explicans ritum Baptiſmi, quem Dionyſius ſcriptum reliquit: ita concludit: Et iſte ritus exterior cum Baptiſmo erat characterizatio ſua, nec de alio characterẽ locutus eſt Dionyſius. Et in ſolutione ad ſecundum clarius concludit, non eſſe quærendum, in quo ſit character, tanquam in ſubiectò, cum non ſit niſi deputatio hominis ad ſacras actiones actiue vel paſſiue. Sed hæc ſententia Durandi tam eſt falſa, quam fundamentum, ex quo ſequitur. Vnde in re nihil à ſententia Hæreticorum differt, vt ſupra etiam dixi.

Quocirca, vt certum ſtatuendum eſt, characterẽ rem eſſe in anima, vt in ſubiectò proprio. Ita enim, *Characterẽ* docent ceteri omnes Theologi, & clarè definiunt Concil. Florent. & Trident. dum docent, characterẽ *ſubiectum anima.*

rem

rem imprimi in anima, & esse signum spirituale. Sequitur etiam necessario ex his, quæ supra diximus de natura characteris: diximus enim esse qualitatem spirituales: necesse est ergo, vt in ea parte hominis in hæreat, quæ spiritualis est, scilicet in anima. Quia vero in anima tria sunt, scilicet substantia eius, intellectus, & voluntas, videndum superest, in quo ex his fit immediate character, nam de his omnibus varie sunt opiniones.

Secunda op. Secunda ergo sententia est, quæ ponit characterem esse in anima, & in vtraque potentia eius, id est, in tota imagine Trinitatis. Ita enim loquebantur antiqui, quos ex parte sequitur Alex. Alenf. 4. par. q. 19. mem. 3. & Bonauent. in 4. d. 6. articul. 1. q. 3. vbi sentit characterem esse in vtraque potentia, quamuis principalis dicat esse in intellectu, quam in voluntate. Sed hæc sententia ab alijs reiecta est, quia re vera gratis affirmat quid superfluum, & quod nullo fundamento probari potest: cum enim character solum ponatur vt signum, quid necesse est illum multiplicare in diuersis potentijs? Item contra hanc opinionem à fortiori obijci poterunt omnes difficultates, quas in tertia & quarta opinione proponemus.

Dispositio in moralibus non potest esse in eis subiectis, in quo est forma.
Tertia ergo opinio est, characterem esse in voluntate. Ita tenet Scotus in 4. distinct. 6. q. 11. Cuius fundamentum est. Primo, quia character est dispositio ad gratiam, sed gratia, cum sit idem cum charitate, est in voluntate: ergo & character. Secundo, quia character est signum obligationis hominis ad Deum: sed homo proxime obligatur Deo per actum voluntatis: ergo decet, vt tale signum sit in voluntate. Sed in primis hæc fundamenta Scoti firma non sunt. Nam primum supponit gratiam esse idem cum charitate, & non esse in essentia animæ, quod est falsum. Præterea sumit characterem esse dispositionem ad gratiam. Quod proprie etiam intellectum non est verum: & ad summum dici potest dispositio moralis, secundam quandam congruitatem vel diuinam ordinationem ad gratiam sacramentalem: non est autem necesse, quod huiusmodi dispositio sit in eodem subiecto, in quo est forma, sed facta est, quod sit in eodem supposito. Sicut contritio est dispositio ad gratiam, & sanctitas Beatæ Virginis fuit dispositio ad maternitatem diuinam: & scientia, vel prudentia est dispositio ad aliquam moralem dignitatem, vel iurisdictionem. Secundum etiam fundamentum facile diluitur: primo, quia character non tam est signum obligationis, quam muneris, aut status suscepti, qui interdum secum affert aliquam obligationem. Sicut in iudice, signum quod defert, non est signum obligationis, sed potestatis, ad quam sequitur obligatio. Secundo, quia nulla ratio cogit, vt signum obligationis sit in eadem facultate, ex qua nascitur obligatio. Nam etiam homo interdum voluntate se obligat, & vendit in seruum: signum autem seruitutis defert in facie. Vnde ex præcisa ratione signi non videtur posse colligi, in quo subiecto sit character, quia signum non tam ponitur in aliquo, vt ipse veatur eo, quam vt ab alijs dignosci & distingui possit. Et ideo in ea parte collocari solet, quæ est aptior ad huiusmodi finem, scilicet ad significandum alijs. Vt in corporalibus rebus facile constat. In spiritualibus autem, quia anima & potentia eius æquè patent spiritualibus oculis, quibus tantum videri possunt, ideo ex hac parte æquè apta sunt, vt in eis collocetur spirituale signum: ergo ex hoc capite non potest satis iudicari, in quo subiecto sit character, sed aliunde ferendum est in iudicium. Imo addo, si sola ratio signi consideretur, potius esse ponendum characterem in essentia animæ, quam in voluntate, vel aliqua potentia, vt statim ostendam probando nostram sententiam, vbi rationes alias contra Scotum afferemus.

Quarta sententia. Quarta sententia est characterem esse in intellectu. Hæc est D. Thom. hic, vt vidimus, quam defendit Franc. Suarez. Tom. 3.

dunt omnes Thomistæ, Caietan. Soto, & Ledesma. & Palud. in 4. d. 4. q. 2. artic. 2. & ibid. Capreol. Richard. dist. 5. artic. 2. q. 2. Fundamentum D. Thom. est, quia character ordinatur ad actus diuini cultus, ad actum autem immediate ordinatur potentia animæ, & nõ essentia, ergo character immediate est in potentia, & non in essentia animæ. Rursus actus diuini cultus ad quem character ordinatur, est quædam fidei protestatio: ergo oportet, vt character sit in cognoscitiua potentia, in qua est virtus: hæc autem est intellectus. Hæc sententia est quidem probabilis propter autoritatem D. Thomæ, si tamen rectè consideretur fundamentum eius, supponit doctrinam prius à D. Thoma traditam, scilicet characterem ordinari ad actus diuini cultus per modum potentia actiua, vel passiua. Cum autem nos dixerimus, non esse veram potentiam, sed solum per modum signi, quo deputatur, & consignatur homo ad cultum Dei, non est necesse, vt sit in potentia operante. Quia non quidquid ordinatur ad actum, est in potentia, sed id quod ordinatur per modum principij efficientis, seu coefficientis ipsi actum: quod autem ordinatur tantum per modum signi, potest esse in quacunque parte vel subiecto, in quo sit commodius ad significandum: sicut militia signum ponitur in pectore, vel capite; & tamen militia manibus exercetur. Illa ergo ratio non satis probatur characterem esse in potentia anime magis, quam in essentia. Et hinc fit ex eo, quod cultus Dei fit protestatio fidei per exteriora signa, non rectè sequi characterem esse in intellectu, vbi est fides: tum, quia non oportet signum esse in eodem subiecto, in quo est res significata, tum etiam quia si illa ratio valida esset, potius constitutus esset character in voluntate, quam in intellectu; quia immediate non ordinatur ad fidem, sed ad cultum Dei. Quia licet à fide dirigatur, tamen proxime à religione elicitur, quæ est in voluntate: ergo vel ponendus est in vtraque potentia, vel in neutra, vel certe si in vna ponitur potius, quam in altera, nõ debet huius ratio sumi ex re significata, sed ex eo quod character aliquid potius conferat ad actus vnius potentia, quam alterius, quod tamen verum esse non potest, vt infra ostendam.

Quinta sententia. Quinta ergo sententia est, characterem esse immediate in essentia animæ. Hanc tenet Marfil. in 4. q. 4. art. 1. & Gab. dist. 6. q. 2. art. 3. dub. 2. vbi primum ait, hanc dubitationem non habere locum in sua & Nominalium sententia, quod intellectus & voluntas nullo modo distinguantur à substantia animæ. Deinde vero subiungit, supposita distinctione potentiarum ab anima potius esse characterem ponendum in anima quam in potentijs: ac tandem addit, si ponendus esset in potentia, potius esse ponendum in voluntate, quam in intellectu, quia in voluntate est gratia, quæ idem est cum charitate. Fundamentum Marfilij est, quia signum & id quod significatur, debent esse in eodem subiecto. Sed character est signum eorum, quæ per sacramenta conferuntur, quibus tota anima perficitur, vt sunt fides, spes, charitas: ergo. Secundo, quia per characterem deputatur anima: & consignatur ad aliquod ministerium spirituale: ergo debet esse in ipsa anima. Sed hæc fundamenta non sunt efficacia. Quia in prima ratione maior est falsa, vel saltem non necessaria, vt sæpe dictum est, alias debuisset Marfil. illa ratione concludere, se esse characterem etiam in voluntate, & in intellectu, quia significat perfectionem, seu augmentum fidei, & charitatis. Secunda vero ratio solum probat characterem esse in homine, vel in anima, non tamen quod sit in substantia animæ immediate. Melior est ratio, quam adducit Gabr. & quam etiam Duran. attingit, scilicet, quia character non est principium alicuius actus, intellectus, aut voluntatis, quam statim latius explicabimus.

In hacigitur re, quæ satis incerta est, verisimilium Concluse. videtur,

videtur, characterem esse immediate in substantia anima. Ratio sumi potest primo, ex munere, seu officio signi: quando enim aliquid imprimitur, alicui rei, ut in signum manifestans rem illam, ut destinatum ad aliquid munus, eamque à ceteris distinguens, in illa parte poni debet, quæ notior est, & aptior ad notificandam rem illam, & distinctionem eius. Sed substantia animæ secundum se notior est, & prior, quam potentia. Ergo cum hoc signum sit spirituale, atque adeo proportionatum ipsi rebus, quatenus secundum se cognoscibiles sunt, poni debet in ea re, quæ secundum se notior est: ergo debet poni in substantia eius. Et hæc ratio eadem probabilitate ostendit, si character ponendus esset in potentia, & non in essentia, potius esse ponendum in intellectu, quam in voluntate, quantum est ex hoc capite, sc. ex ratione signi: quia intellectus secundum se est notior ac prior. Secunda ratio & efficacior est, quia character non est principium alicuius actus intellectus aut voluntatis pertinentis ad cultum Dei vel usum sacramentorum: ergo non est constituendus in intellectu, neque in voluntate, ergo in substantia animæ. Antecedens probatur: discurrendo per singulos characteres. Nam primo character Baptismi datur, ut facultas moralis ad recipiendum alia sacramenta, sed ad huiusmodi receptionem, ad summum requiritur in intellectu actus fidei, vel prudentiæ. Ad hos autem actus efficiendos non concurrunt character Baptismi, ut potentia activa neque etiam ut habitus, ut omnes sine controversia fatentur: tum quia character Baptismi ponitur, ut potentia passiva: tum etiam, quia hi actus habent alia sufficientia principia, scilicet habitum fidei, & dona intellectus ac virtutem prudentiæ. Atque eadem ratio probat de actibus voluntatis. Quia ad recipiendum sacramentum, ad summum requiri potest in hac potentia voluntas recipiendi sacramentum, quæ si naturalis sit, ad illam non requiritur principium supernaturale: si vero sit supernaturalis, & obiectio proportionata, erit elicita à virtute religionis & fide, ac prudentia regulata. Requirit etiam potest bona dispositio suscipientis, non ad substantiam sacramenti, sed ut dignè sumatur. Et de hac cõstat non esse à characterẽ, ut principio efficiendi, sed à charitate, penitentiã, & virtutibus. Secundo idem discursus facile fieri potest in characterẽ Confirmationis: nam actus ad quam ordinatur hic character, est consistens fidei & religionis Christianæ professio: ad hunc vero effectum ex parte intellectus hi actus requiri possunt: scilicet fidei, prudentiæ, charitatis, obedientiæ, religionis, fortitudinis, ac similibus virtutum. Neque aliquis alius excogitari potest, qui in intellectu & voluntate non habeat sua propria & sufficientia principia à quibus, etiam si character non ad sit, connaturaliter, & perfectè fieri potest, & character per se nullam vim ad eos eliciendos confert. Quod in hunc modum etiam confirmatur, quia si character esset principium ad eliciendos hos actus, esset habitus intellectualis, aut appetitiuus: diceret etiam ordinem ad obiecta istorum actuum: denique esset virtus intellectus, aut voluntatis, theologica, vel moralis. Tertio, eadem ratio accommodari potest ad characterem ordinis, qui datur ad sacramenta ministranda. In ministerio enim sacramentorum nullus actus intellectus vel voluntatis requiritur ad substantiam sacramenti, nisi intentio faciendi sacramentum, quæ formaliter dicit actum voluntatis, & supponit in intellectu aliquam cognitionem, de quibus actibus eadem est ratio. Quia si cognitio sit naturalis, qualis esse potest in hæretico ministrante sacramentum, ad illam non requiritur supernaturalis potentia: si vero sit supernaturalis, erit vel à fide, vel à prudentia, vel ab aliquo intellectuali dono: nec fingi aut excogitari potest aliud genus actuum intellectualium, propter quod ponatur character. Similiter intentio faciendi

sacramentum nihil aliud est, quam voluntas confertendi illud, quæ si supernaturalis sit, ad charitatem, religionem, aut similem aliam virtutem pertinebit: ergo nullus est actus intellectus, aut voluntatis, propter quem efficiendum oporteat characterem poni in intellectu vel voluntate.

Ad hanc vero rationem respondere videtur Paulus supra: quod licet character non eliciat, nec dirigat intentionem dandi sacramentum: nam & qualiter, inquit, possunt habere hanc intentionem: qui habet characterem, & qui non habet: tamen character ad hoc deseruit, ut intentio habeat virtutem, quam alias non haberet. Sed hoc nihil omnino confert. Primo, quia non potest accommodari characteri Confirmationis. Secundo vix etiam locum habet in characterẽ Baptismi, nam licet intentio recipiendi sacramentum, sit necessaria in adultis: tamen illa intentio non confert aliquid per modum efficiendos ad valorem sacramenti: sed solum est necessaria cõditio, ut utens ratione sit capax sacramenti ex suavi Dei providentia propter modum operandi talis subiecti. Unde etiam ad ipsum Baptisimum, qui nullum characterem supponit, requiritur illa intentio: in infantibus vero non requiritur, neque ad Baptisimum, neque ad alia sacramenta, quorum ipsi sunt capaces. Tertio, neque in characterẽ Ordinis id quicquam valet, quia intentio ministri nullam in se virtutem physicam recipit. Quis enim fingat, qualitatem aliquam spiritualem effici characterẽ circa ipsum actum intentionis, ut sit efficax? hoc enim nullus hæc enus finxit, & improbabilis est, quam quod in ipsis sacramentis imprimatur qualitas aliqua seu virtus physica. Quia illa interior intentio, immediate non attingit effectum gratiam, quæ est effectus sacramenti, quia hæc immediate fit à solo sacramento, ut ab instrumeto, ut supra dictum est: versatur ergo illa intentio immediate solum circa ipsum sacramentum: ad faciendum autem totum id, quod est sensibile in sacramento, non est necessaria supernaturalis virtus, sed ipsa voluntas sua naturali efficacia sufficit, ut supra ostendi: ad faciendum vero sacramentum in esse sacramenti non requiritur aliqua virtus, vel nova actio physica, quia illud solum habet significationem ex institutione, ut supra etiam dixi: ergo superflue esset cõfecta omnis virtus, quæ, per modum qualitatis factæ per actionem characteris, additur intentioni sacerdotis, ut sit efficax, sed hoc solo quod illa voluntas, & intentio est ab homine designato à Christo ad hoc munus, est efficax ad faciendum hoc sacramentum: ad hoc autem impertinens est, quod character sit in potentia, vel in essentia. Imo, si propter hoc ponendus esset in potentia, potius esset ponendus in voluntate, quæ in intellectu: quia intentio, quæ futura est efficax, in voluntate est formaliter, & cognitio intellectus requiritur, ut cõditio necessaria ad actum voluntatis. Sed re vera in neutra potentia est necessarius ad hunc finem, sed solum quod ille homo sit cõsignatus, optime autem & melius quodammodo & accommodatius designatur homo per qualitatem impressam substantiæ animæ eius, quam potentia. Adde interdum intentionem hanc esse efficacem sine villo characterẽ, ut constat in ministro Baptismi, aut sine characterẽ qui fit per modum facultatis activæ, ut in Matrimonio: quia in his ut intentio sit efficax, solum requiritur iuxta divinam institutionem, quod sit à tali persona, quia illa non est efficacia physica, sed moralis: idem ergo erit, quando ex institutione divina requiritur, quod intentio sit à ministro characterẽ designato: non enim necesse est, ut character aliquid physice influat in intentionem, sed solum quod designet personam ad illud munus: hoc enim posito, si cætera necessaria concurrant, erit intentio moraliter efficax ad cõficiendum sacramentum. Neque hæc doctrina pugnat cum ea, quam

Intentio ad
sacramentum
non requiritur
in ministro
sacramentum
solummodo
habere
efficaciam
et, quod sit à
tali persona

quam supra tradidimus de efficacia sacramentorum, nam tota illa efficacia proprie conuenit ipsis sacramentis respectu gratiae: minister vero non habet per se efficientiam immediatam, nisi circa ipsum sacramentum, circa quod nullam exercet actionem physicam, & supernaturalem, quia in sacramento nulla perfectio realis ac supernaturalis recipitur, vt latius supra explicatum est.

Aliam responsionem indicat Soto loco supra citato, vbi discrete concedit, characterem non ordinari ad cognoscendum, neque ad appetendum: sed ad operandum, scilicet ad protestandam fidem: & respondens Durando ait, quod licet character non sit cognoscitiuus, est tamen facultas fidei ad colendum Deum, sicut ipsa docet: nam sicut ars est cognitio practica, ita fides characterem vitur ad opus. Sed non satis intelligo, quo tendat haec responsio, aut quomodo argumentis factis satisfaciatur. Nam primum, si character non est cognoscitiuus, sicut neque appetitiuus, cur ponitur in intellectu, potius quam in voluntate, cum protestatio fidei, quae est per cultum Dei proprius ac formalis pertineat ad voluntatem, quam ad intellectum? Secundo, si character est operatiuus, tanquam facultas fidei, inquiri, quae nam sit eius operatio? Aut enim est actus interior spiritualis, & immanens: & ita non potest esse nisi actus intellectus, vel voluntatis, aut est actus exterior & corporalis: & ad hunc actum nec character spiritualis potest concurrere, vt supra ostensum est: nec, etiam si posset, propter hunc concursum oportere ipsum esse in intellectu, magis quam alibi. Rursus, si est operatiuus, vel operatio eius est actio vitalis, & sic esse non poterit nisi intellectus, vel voluntatis: vel non est actio vitalis, sed per modum transeuntis actionis: sed neque explicari poterit quales sit haec actio, neque quid deserviat ad finem coniciendi sacramenta, nec quo fundamento nitatur, vt satis patet ex dictis sectione precedenti. Ac denique admissio hoc genere actionis, impertinens est propter illam, characterem ponere in intellectu. Dicit aliquis, esto character non sit operatiuus proprie, ac physice, sed solum constituat per modum signi: nihilominus posse optime poni in intellectu solum, vt ipsum ornet, & perficiat, & hoc modo confignet hominem, sicut necessarium dicitur fides, seruata proportione, etiam si teneamus, illum esse in essentia animae. Quod si hoc est possibile, vnde constare potest, non ita factum esse? Videtur enim esse congrui, vt sicut anima per potentias suas colit Deum, ita etiam in aliqua potentiarum confignetur ac destinetur ad illum cultum, & consequenter congruum etiam erit, vt hoc fiat in intellectu qui est primaria potentia, in qua est primum fundamentum cultus Dei, quod est fides. Respondeo, si aliquis esse potest probabilis modus explicandi, & defendendi opinionem Diui Thomae, fortasse nullum alium excogitari posse faciliorem, aut probabiliorum. Valde tamen dubito in primis, an fuerit haec mens Diui Thomae propter ea, quae dixi in fine sectionis precedentis. Deinde dubito, an potentiae animae sint capaces aliquis qualitatis, quae nec sit actus secundus talis potentiae, neque actus primus disponens, vel dans virtutem ad simpliciter agendum, vel saltem ad melius & facilius eliciendum actum talis potentiae, quia huiusmodi potentia tota est natura sua destinata ad operandum, & totum suum esse, & speciem suam recipit cum hac inclinatione, seu habitudine ad actus & obiecta: & ideo non videtur posse perfici in suo esse per aliquam qualitatem, quae non sit actus secundus, nisi perficiatur in actiuitate sua in ordine ad actum secundum. Tandem, etiam si admittamus, hoc esse possibile, videtur certe maior esse congruentia, quae supra adducta est, vt ponatur character in ipsa substantia animae, quae principaliter destinatur, ac designatur ad sacrum mini-

sterium, & quae est principale principium omnium actuum diuini cultus, & quia fere non est maior ratio de intellectu, quam de voluntate, ita conuenientius ponitur in subiecto communi vtrique.

ARTIC. V.

Virum character insit anima indelebiliter.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod character non insit anima indelebiliter. Quanto enim aliquid accidens est perfectius, tanto firmitus inhaeret. Sed gratia est perfectior quam character: quia character ordinatur ad gratiam, sicut ad vltiorem finem. Gratia autem amittitur per peccatum. Ergo multo magis character.

2. Præterea, Per characterem aliquis deputatur diuino cultui sicut dictum est. Sed aliqui ad cultu diuino transiunt ad contrarium cultum, per apostasiam à fide. Ergo videtur quod tales amittant characterem sacramentalem.

3. Præterea, Cessante fine, cessare debet & id quod est ad finem, alioquin frustra remaneret, sicut post resurrectionem non erit matrimonium, qui cessabit generatio, ad quam ordinatur matrimonium. Cultus autem exterior, ad quem character ordinatur, non remanebit in patria, in qua nihil agitur in figura, sed totum in nuda veritate. Ergo character sacramentalis non manet in perpetuum in anima, & ita non est indelebiliter.

Sed contra est, quod Augustinus dicit contra Parmen. Non minus herent sacramenta Christiana, quam corpora militaria. Sed character militaris non repetitur, sed agnitus approbatur in eo, qui veniam meretur ab imperatore post culpam. Ergo nec character sacramentalis deleri potest.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) character sacramentalis est quadam participatio sacerdotij Christi in fidelibus eius, vt scilicet sicut Christus habet plenam spiritualem sacerdotij potestatem, ita fideles eius ei confignentur in hoc quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum, & eorum que pertinent ad diuinum cultum. Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem, sed potestus sacerdotij eius comparatur ad characterem, sicut id quod est plenum & perfectum ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem Christi est æternum, secundum illud Psalm. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et inde est quod omnis sanctificatio, qua fit per sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis, nam Ecclesie vel altaris manet consecratio semper, nisi destruat. Cum igitur anima sit subiectum characteris, secundum intellectuam partem, in qua est fides (vt dictum est) manifestum est, quod sicut intellectus perpetuus est, & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima.

Ad primum ergo dicendum, quod aliter est in anima gratia, & aliter character. Nam gratia est in anima, sicut quedam forma habens esse completum in ea, character autem est in anima, sicut quedam virtus instrumentalis, vt supra dictum est. Forma autem completa est in subiecto, secundum conditionem subiecti, & quia anima est immutabilis, secundum liberum arbitrium, quamdiu est in statu vite, consequens est, quod gratia insit anime mutabiliter. Sed virtus instrumentalis magis attenditur, secundum conditionem principalis agentis, & ideo character indelebiliter inest anime, non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotij Christi, à quo deriuatur character, sicut quedam instrumentalis virtus.

Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus dicit ibidem. Nec ipsos apostatas videmus carere baptismo, quibus vtrique per penitentiam rediuntibus non reseruatur, &

Capacitas potentiarum animae ad quas qualitates se extendat.

4. dist. 4. q. 1. non insit anima indelebiliter. quanto enim aliquid accidens est perfectius, tanto firmitus inhaeret. Sed gratia est perfectior quam character: quia character ordinatur ad gratiam, sicut ad vltiorem finem. Gratia autem amittitur per peccatum. Ergo multo magis character.

Art. 1. & 2. ad contrarium cultum, per apostasiam à fide. Ergo videtur quod tales amittant characterem sacramentalem.

Lib. 2. c. 13. Non minus herent sacramenta Christiana, quam corpora militaria. Sed character militaris non repetitur, sed agnitus approbatur in eo, qui veniam meretur ab imperatore post culpam. Ergo nec character sacramentalis deleri potest.

Art. 3. huius quasi.

Art. 4. ad 3. arg.

Art. 5.

Lib. 1. contra Dona. par. à prim. 10. 7.

